



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LXXI. Gapellaniæ, ad quam vel Clericum Regularem, vel sæcularem
pro voluntate Abbatis exponi posse statuitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

CONSILIUM LXXI.

In causa Capellaniæ, ejusque statu regulari,
vel sæculari.

SUMMARIUM.

1. *seqq.* Facti species.
15. Modus probandi regularitatem beneficii.
17. *seq.* Descendere hac requisita videntur inposito casu.
19. Ut beneficium sæculare per præscriptionem fiat regulare, requiritur possessio pacifica per 40. annos.
20. Instructio: 21. bona fides: 22. & collatio facta animo mutandi statum beneficii.
23. *seqq.* Has condiciones non videtur habere beneficium quæstionis.
32. *seqq.* Opponuntur responsiones Monasterii, & probatur regularitas beneficii litigiosi.
34. *seqq.* Mutata qualitate Parochia, censetur etiam mutata qualitas Capellaniæ subjectæ.
38. Beneficia sæcularia præsumuntur titularia: regularia verò manualia.
39. Ut beneficium fiat regulare per præscriptionem, non requiritur, ut conferatur animo eidem imprimendi alium statum.
40. Regulares investiri non possunt in beneficiis.
41. *seqq.* Præscriptio regularitatis in hoc casu non fuit interrupta.
46. Clausula salvo cujusque jure conservat possessorem in possessione sua.
47. Per contestationem litis interruptitur præscriptio tantum conditionatè, si scilicet possessor in lite succumbat.
48. Antiquitas possessionis habetur pro titulo.
49. Ostenditur, non deficere bonam fidem.
50. *seq.* Qui admittit alterius actus possessorios, censetur agnoscere legitimam ejus possessionem.
52. Deciditur prima quæstio in favorem Monasterii.
53. *seqq.* Prætendit fiscus jus agendi ex l. si contendat.
56. *seq.* Hoc remedium competit reo exceptionem habenti, adeoque in hac causa potius Monasterio.
58. *seqq.* Differentia inter remedium l. si contendat & l. diffamari cum responsione ad argumenta opposita.
61. *seqq.* Defenditur Indultum à vicio ob. & subreptionis, quia ad impetrandum beneficium Ecclesiasticum non opus est exprimere statum, quem olim beneficium habuit, sed quem modo habet tempore impetrationis.
68. Conclusio totius controversiæ.

FACTI SPECIES.

1.



N pago Z. ab antiquissimis temporibus erecta stat Ecclesia Parochialis. Hanc Celsissimus Episcopus H. anno 1294. cum consensu Reverendissimi Capituli cathedralis univit, & incorporavit Ven. Monasterio N. cum obligatione tamen, ut, quotiescunque vacaverit, ad dictam Parochiam Reverendissimus loci Abbas ipsi Celsissimo, vel ejus successor, qui pro tempore fuerit, præstet idoneum Sacerdotem sæcularem, pro Vicario perpetuo de cura animarum ejusdem Ecclesiæ instituendum. Ad hanc Parochiam filialis est pagus D. in quo quidem jam ab antiquissi-

mo tempore constituta fuerat ædes sacra, sed sine beneficio; nam primùm An. 1407. erecta ibi est Capellania, & ibi constitutus Capellanus, subiectus tamen Parocho in Z. in exercenda animarum cura, ad quem proinde eadem cura principaliter pertinet, & ob id decimæ minores cum oblationibus quatuor Festorum principaliorum eidem præstantur.

Erat quidem non tantum hæc Parochia, sed etiam ipsa Capellania fundata pro Sacerdote sæculari. Tractu tamen temporis (de cujus initio non constat) ad utramque promiscuè modò regulares, modò sæculares Sacerdotes fuerunt promoti, & investiti: qui mos continuatus fuit usque ad annum 1592. ubi Reverendissimus G. dicti Monasterii Abbas, advertens, quòd Religiosi, in dicta Parochia Z. & altera quadam expositi, & investiti, inobedientes, immorigeros, & refractarios er-

(M m m m 3)

2.

ga

ga Abbates suos hætenus quandoque se exhibuerint, ut ejusmodi offensiones, & delicta imposterum evitentur, Episcopo Cardinali supplicavit, ut in dictis duabus Parochiis liceat regulares, vel sæculares, ad nutum amovibiles, exponere.

3. Ad Indultum istud facilius obtinendum idē Reverendissim. Abbas G. dicto Eminentiſſimo Cardinali, & Episcopo proposuit, quòd jus præsentandi ad memoratas duas Parochias ad se, suumque Monasterium antiquitus, & adhuc hodierno die spectaverit, & spectet, ita, ut sine cujusque contradictione possit vel Religiosos sui Ordinis, & Monasterii, vel sæculares Presbyteros ad easdem assumere, & ad investiendum præsentare. Quibus rationibus motus memoratus Cardinalis, *præhabita maturâ deliberatione* (ut Indultum loquitur) *sum Venerabilibus, & sincerè dilectis Præposito, Decano, & Capitulo Ecclesiæ, eorūque accedente consensu*, benigne annuit, & expeditis super hoc literis s. Maij anni prædicti eidem Abbati, ejusque successoribus auctoritate suâ ordinariâ liberam in Domino facultatem concessit, ut imposterum tam ipse Abbas G. quàm successores ejus legitimi eisdem Ecclesiis de idoneis sive Religiosis sui Ordinis, & Monasterii, sive sæcularibus Presbyteris, ad nutum, & voluntatem suam, suorumque successorum assumendis, & amovendis providere libere possint, & valeant.

4. Annexuit tamen prædictus Dominus Cardinalis concessioni suæ tres sequentes conditiones. 1. Ut quotiescunque novos Vicarios ad easdem Ecclesias, vel alterutram earum deputare contingeret, illi, priusquam ad curam animarum regendam, & Parochiale Beneficium adminitrandum se ingerant, ipsum Dominum Cardinalem, vel ejus Successores, eorūque in spiritualibus Vicarios Generales accedant, examini se denuo submittant, professionem fidei, & Juramentum fidelitatis præsentent, & literas suæ commissionis, seu admissionis recipiant. 2. Ut prædictus Abbas, ejusque Successores, dictūve Monasterium ad Officium Episcopale, sigilli loco, & nomine primorum fructuum, sine contradictione, singulis Festis divi Martini Episcopi sex florenos monetæ usualis præsentent, & nihilominus eadem Ecclesiæ, vel earum Vicarii, pro tempore existentes, subsidium charitativum, Cathedralicum, cæteraque jura Episcopalia, & Capitularia solvant. 3. Ut iidem Vicarii tractatibus, conventionibusque Capitularibus intersint, suisque Decanis pro tempore existentibus reverentiam, & obedientiam debitam præsentent, quemadmodum id statuta Capitularia injunxerint, salvâ nihilominus ipsis Vicariis congruâ portione, ex qua se non solum honeste sustentare, ve-

rūm etiam prædicta, & alia onera debite ferre, ac supportare possint.

Capellaniæ in D. neque in precibus Reverendissimi Abbatis, neque in ipso Indulto Episcopali ulla facta est mentio; sed persuasum sibi Monasterium habuit, jus hoc exponendi regularem, vel sæcularem pro Capellania hac, ad nutum amovibilem, à Parochia ista, cui incorporata est, etiam ad illam extendi. Sicque tam ante, quàm post Indultum prædictum fuit continuatum in praxi; nam hætenus promiscuè ad dictam Capellaniam fuerunt præsentati, & assumpti tum regulares, tum sæculares, cum discrimine tamen; nam aliqui fuerunt etiam instituti, alii verò, & viciniore nostris temporibus ut amovibiles ad nutum Abbatis admissi. Primus, de quo ex documentis constat, fuit Dominus Andreas T. qui Capellanus in D. fuit An. 1488. inter hunc, & Dominum Georgium M. qui Capellaniam istam possedit circa annum 1573. quinam intermedii fuerint, atque an sæculares, vel regulares extiterint, non constat. Dominum M. secutus est R. P. Joannes M. Conventualis, de quo ex Necrologio Monasterii constat, quòd in D. actualis Capellanus fuerit, & mortuus fuerit An. 1587.

Hic successit R. P. Conradus H. itidem Regularis, qui jam Capellanus ibidem fuit anno 1591. & eodem anno ipse cum Parrocho in Z. itidem conventuali citatus C. ut responderent super quibusdam defectibus, de quibus fuerunt denunciati, ut patet ex literis de dato 1. Mart. 1591. nullum eo tempore motum dubium fuit super regularitate hujus Beneficii. Hinc idem P. Conradus anno 1593. præsentatus, & institutus in illo fuit post indultum Episcopale. Administavit iste Capellaniam hanc usque ad annum 1598. quod quidem scivit Monasterium, ignoravit autē, quòd post indultum fuerit investitus ex defectu documentorum super re ista, donec ex proclamatis, & investituræ Extracto communicato, id fuit rescitum per verba, die 28. Jan. 1593. data proclamatio fratri Conrado H. Conventuali Monasterii N. ad Capellaniam altaris S. Leonardi in D. per obitum quondam Fr. Joannis M. ultimi ipsius possessoris vacantem per Reverendissimum Dominum G. Abbatem Monasterii N. præsentato. Subjungitur: 20. Nov. 1593. data investitura, præmissâ proclamatione Domino Fr. Conrado H. Conventuali Monasterii N. Presbytero, ad Capellaniam Altaris S. Leonardi in D. Ex quo Reverendissimus fiscus Episcopalis argumentum sumit, contenditque, malè, & perperam indultum Episcopale prædictum ad Capellaniam quæst. extendi; nam, si comprehenderetur Indulto isto, idem P. Conradus non fuisset in illo investitus.

Subin-

7. Subinde tamen usque ad annum 1615. Capellaniam hanc obtinuerunt adhuc tres Religiosi; nam P. Conradum secutus est P. Georgius E. usque ad annum 1607. Hic Successorem habuit P. Adamum W. qui obiit An. 1614. prout demonstrant documenta in actis allegata. Huic successit P. Joannes St. qui ut patet ex libro baptismali Capellaniæ D. quem ille anno 1614. coepit (nam antiquior non reperitur) administravit curam usque ad annum 1616. inclusivè. an verò hi tres Religiosi conventuales investiti sint, non constat. Post istos successit Dominus Jacobus V. Sacerdos sæcularis, præsentatus ad Capellaniam à Reverendissimo Domino Abbate Michaële. Vixit ille usque ad annum 1625. & successorem habuit iterum Sacerdotem sæcularem, Dominum Sebastianum M. Fuit hic ibidem Capellanus usque ad annum 1636. quo anno successit eidem Dominus Nicolaus V. etiam Sacerdos sæcularis, usque ad annum 1639. De his tribus sæcularibus non constitit Monasterio, quòd fuerint investiti, usque dum Reverendissimus fiscus Episcopalis in sua Replica copias præsentationis communicavit. Ex quo probat idem fiscus Episcopalis, quòd possessio, vel quasi juris præsentandi regularem, vel sæcularem ad nutum amovibilem fuerit interrupta.

8. Post hos tres sæculares, qui per 23. annos Capellaniam hanc administravere, secuti sunt meri Religiosi, usque ad annum 1664. ut videre est in duplica Monasterii N. nam istos tres sæculares secuti sunt P. Thomas usque ad annum 1642. P. Georgius usque ad annum 1644. P. Benedictus usque ad annum 1653. P. Oswaldus usque ad 1661. P. Placidus usque ad annum 1664. quo demum anno Reverendissimus Abbas ad Capellaniam hanc præsentavit Dominum Andream S. sæcularem Sacerdotem, non tamen ad investituram, sed solum ad commissionem, cum additione expressâ, quòd beneficium D. sit regulare. Hoc tamen non obstante, Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis ipsum investivit, absque hoc, quòd monuerit de isto Monasterio, aut aliam præsentationem petierit. Hinc illud in ea persuasionem fuit, quòd admissio Domini S. fuerit facta conformiter ad præsentationem, quæ expedita fuit, ut esset ad nutum amovibilis. Successu temporis quidem rumor fuit de investitura eidem impertita, quam sibi datam, ferebatur ipse Dominus S. edixisse. Sed quia rumor iste obscurus erat, & præsentationi, à Monasterio factæ, idem Vicarius Generalis non contradixit, non fuit eidem rumor fides habita, donec ex copiis communicatis innotuit Monasterio, quòd fuerit investitus.

9. Administravit Capellaniam Dominus S. usque ad annum 1718. quo satis concessit, Defuncto illo, Reverendissimus Domi-

nus Abbas præsentavit P. Ernestum, Conventualem pro admissione ad curam exercendam, eadem, quâ antecessores persuasionem ductus, quòd Monasterium sit in possessione, vel quasi juris exponendi vel regularem, vel sæcularem, ad nutum amovibilem. Contradixit autem huic præsentationi Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis, prætendens, Capellaniam hanc esse beneficium sæculare, & res delata est ad Consilium Ecclesiasticum, pependitque admissio per integrum fere annum, intra quod tempus duæ scripturæ pro manutenenda dicta possessione ad idem Reverendissimum Consilium ab eodem Monasterio fuerunt transmissæ. Tandem admissio dicti P. Ernesti expedita est An. 1719. additâ clausulâ, *salvo tamen cujuscunque jure*. Hunc secutus est P. Stephanus, & eo defuncto, P. Willibaldus, qui modò adhuc Capellanus est: idque notissimum est Domino Decano, Camerario, & omnibus aliis.

Tandem anno 1731. 3. Maii pro parte Procuratoris Fisci Episcopalis Celsissimo, ac Reverendissimo Principi, ejus loci Episcopo, fuit expositum, qualiter Ven. Monasterium N. beneficium Parochiale (dici debuisset Capellania Curata) in D. contendat esse beneficium regulare, adeoque jus præsentandi, & exponendi suos Conventuales, & quidem ad nutum amovibiles sibi competere. Ut autem de præsentatione regularitate ejusdem Capellaniæ liquidò constet, idem Fisci Episcopalis Procurator ulterius institit, & ipsum Celsissimum requisivit, quatenus memoratum Monasterium ex l. si contendat 28. ff. de fidejuss. ad deducendam, & probandam præsentam regularitatem ejusdem beneficii citare, & in causa absentia, seu contumacia perpetuum silentium imponere eidem dignetur. Cui petitioni idem Celsissimus annuens, Monasterium prædictum ex dicta lege citari fecit, ut nonâ die juridicâ post præsentium executionem proximè venturâ coram eodem Celsissimo in judicio legitime compareat ad allegandum, & deducendum jus suum, & quatenus suâ putaverit interesse, alioquin ad videndum sibi perpetuum silentium imponi, vel per aliquem hujus Curia Procuratorem legitime constituendum, dicendam, & allegandam causam, vel causas rationabiles in contrarium, quare præmissa fieri non debeant, cum tali certificatione, quòd, si pars citata in hujusmodi citationis termino comparuerit, siue non, nihil tamen rationabile in contrarium allegaverit, ipse Celsissimus nihilominus ad præmissa, & alia, prout justum fuerit, sit processurus, ipsius partis citatæ absentia, seu contumacia non obstante.

Innuata hæc citatio Monasterio N. fuit 17. Maii dicti anni 1731. Igitur pro parte

IO.

II.

- parte ejusdem Monasterii vigore dati sibi ad hoc mandati Procuratorii legitime constitutus Procurator die constituta comparuit, allegans, & deducens, quod præmissa fieri non debeant. Allegavit autem iste pro parte dicti Monasterii possessionem immemoriam juris præsentandi ad Capellaniam quæst. Clericum secularem, vel Regularem amovibilem, existentis penes Monasterium; nam imò hoc jus istud ab immemoriali exercuit, ut patet ex dictis num. 6. & tribus seqq. 2. Hoc jus usque ad ultima hæc tempora à Reverendissimo Officio nunquam tractum fuit in dubium, quamvis in aliis punctis severe fuerit actum, ut manifestum fit ex actis Monasterii de anno 1591. quo R. P. Conradus Capellanus in D. & R. P. Christophorus expositus in Z. à Reverendissimo Domino Fiscali vocati sunt, quasi essent intrusi; nam, cum ex commissione Reverendissimi Abbatis Dominus Procurator Joannes W. anno prædicto (est annus præcedens Episcopale Indultum) 28. Febr. accessisset Dominum Fiscalem, sciscitaturus causam citationis, & quare vocentur intrusi, ab eodem Domino Fiscali responsum eidem fuit, quod citati illi fuerint non propter investituram accipiendam, sed propter inobedientiam erga Reverendissimū Ordinarium & quod Capitulis ruralibus non interfuerint, titulos, & admissionem ad curam animarum regendam non exhibuerint, examini, cum exercere curam istam coeperunt, se non subjecerint &c. & hinc non solum illos, sed omnes alios, quotiescunque quis inde amotus, & alius ipsius loco à suo Reverendissimo Abbate substitutus fuerit, ad examen deinceps vocatum iri. 3. Idipsum confirmatur ex iisdem Actis Monasterii de An. 1654. quo Capellanæ in D. præfuit P. Oswaldus; hoc enim anno, cum Reverendissimus Dominus Fiscalis petisset annuam taxam ab Exposito in Z. & W. pro annua admissione, Reverendissimus Abbas 12. Jan. supplices dedit literas ad Celsissimum Episcopum, & ut hujus responsoriz de dato 19. Febr. exhibent, impetravit, ut expositi ibidem Conventuales, post examen, professionem fidei, & juramentum præmissum, commissionem, vel admissionem unâ duntaxat vice solvant, ipsa verò commissio, vel admissio tamdiu valeat, quamdiu expositi ibidem persistent. Quoad Capellaniam in D. addidit, sibi relatum fuisse, quod ista Cardinalitio Indulto non comprehendatur, proinde statuit, ut Capellanus ibidem, antequam illam adeat, juxta morem antiquum præsentetur, & qui illâ fungitur, singulis annis commissionem accipiat. Ad quod idem Reverendissimus Abbas per literas 13. Mart. 1654. allegato reposuit, licet in Cardinalitio Indulto prædicto Capellanæ istius in specie nulla fiat mentio, sed
- 12.
- 13.

tantum Parochiæ Z. tamen Capellanum in illo facto ipso includi, utpote cum ille Parocho Z. sublit, & quæ à Parocho præstari debent, etiam ad ipsum dirigantur, idque juxta primam dotationem ejusdem Capellaniz, & subsecutam An. 1437. & 1488. inter Parochum Z. & communitatem D. cum consensu Abbatis initam, & à Celsissimo Episcopo approbatam transactionem. 4. Non obstat, quòd in eadem Capellania tres Sacerdotes seculares investiti fuerint; nam, ut in dictis literis de dato 13. Martii idem Abbas refert, tum temporis ob suas rationes, & præcipue ob penuriam Sacerdotum, quo tum Monasterium laboraveat, aliter fieri non potuit. Cum ergo per hoc Cardinalitio Indulto, & factæ per hoc transactioni minimè derogatum, vel præjudicatum fuerit, sperare se idem Abbas dixit, quòd Celsissimus rem hanc in antiquo statu sit relicturus. Quòd verò dictus Celsissimus his acquieverit, exinde colligitur, quòd non amplius fuerit contradicendum, sed sine ulla contradictione regulares absque annua taxa, ut antea, ita etiam imposterum expositi fuerint usque ad annum 1664. quo anno Dominus Andreas S. Presbyter secularis in Capellania hac investitus fuit, sed non conformiter ad præsentationem, à Reverendissimo Abbate in favorem illius factam, quippe quæ data ipsi est cum expressione, quòd Capellania ista sit beneficium regulare. Proinde

QUÆRITUR I.

An Monasterium N. immemorialitatem juris exponendi in hac Capellania Clericum secularem vel regularem, ad nuntum amovibilem rite probaverit?

Rationes dubitandi, quæ Monasterio 15. obstat possent, sunt imò quia Rationes dubitandi quodlibet beneficium in dubio præsumitur potius esse seculare, quam regulare, ut notat

Gonzal. in Reg. Cancell. 8. gloss. 7. n. 1. Garc. p. 1. de benef. c. 6. n. 12. Sanch. lib. 7. moral. c. 29. n. 11. Less. lib. 2. de just. c. 34. n. 8. Layman. lib. 4. tract. 2. c. 4. n. 3. §. denique addendum. Valles. de benef. lib. 1. tit. 2. n. 6. Barbosa. in c. 5. de prob. & dignit. in 6. n. 14. Passerin. ibid. n. 7.

Et hinc, qui asserit, beneficium aliquod esse regulare, in dubio illud probare debet, ut cum cit. rectè advertunt

Palao tract. 13. D. 1. p. 2. n. 2. Pirhing ad tit. de præbend. n. 8. Wiestner ibid. n. 19.

Non videtur autem Monasterium adhuc rite, & concludenter probasse regularitatem hujus beneficii; nam

2. Hæc regularitas, seu quòd aliquod be-

nefium sit regulare, probari solum potest ex triplici capite, scilicet 1. mo ex prima institutione, sive ex literis foundationis, in quibus cautum reperitur, ut beneficium tale conferatur tantum Regularibus, & ab his administraretur. 2. Ex Privilegio, ex quo nonnullæ Parochiæ regularia beneficia effecta sunt, dum pleno jure alicui Monasterio, vel Domui Religiosæ subjectæ sunt; neque enim ad hoc, ut beneficium aliquod regulare sit, sufficit, quod ejus collatio, vel præsentatio ad Regulares spectet, aut quod ipsi Religioni, vel Monasterio quocunque modo unitum sit (quia hæc omnia etiam sæculari beneficio possunt competere) sed necessarium est, ut etiam per Regulares administraretur, ut cum aliis

Palao n. 2. cit. Passer, in c. 5. cit. n.

6.

notant. 3. Ex præscriptione legitimâ juxta

c. cum de beneficio §. de præb. in 6.

Ex his autem capitibus non apparet, quomodo satis probetur status regularis hujus beneficii; nam imprimis

17. 3. Status iste non habetur ex fundatione illius, quippe quod, ut ex specie facti num. 2. patet, ex ipsius Monasterii propriâ Confectione primitus fundatum fuit pro Sacerdote sæculari. Atque ita juxta num. 5. fuit practicum primis statim à fundatione temporibus; nam, quantum constat, usque ad Patrem Joannem M. qui anno 1587. obiit, Capellania hæc ob impressam sibi ex vi fundationis qualitatem beneficii sæcularis semper collata fuit Presbyteris sæcularibus, & quidem in titulum cum investitura, ex quibus primus, de quo ex documentis Monasterii constat, ut num. 5. cit. dictum est, fuit Dominus Andreas T. qui anno 1488. Capellanus fuit in D. de pluribus aliis hunc subsecutis Sacerdotibus sæcularibus patet ex copiis novissimè Monasterio communicatis: neque constat, ut fateretur ipsummet Monasterium, utrum inter hos, & P. Joannem M. prædictum intercesserit ullus alius Sacerdos Regularis: ut adeò, nisi contrarium probetur, præsumptio sit, etiam eorum, siqui intervenerunt alii, admissionem factam fuisse conformiter fundationi, & ipsam Capellaniam collatam istis, tanquam Presbyteris sæcularibus. Hinc, si beneficium istud ex sua fundatione esset regulare, vel ita constitutum, ut conferri posset vel sæcularibus, vel Regularibus ad nutum amovibilibus, deberet à Monasterio ostendi instrumentum fundationis sic factæ, ex cuius proinde defectu Monasterium ipsummet qualitatem regularitatis, & amovibilitatis Capellanorum ad nutum non ex vi fundationis, sed ex vi Indulti Cardinalitii ab An. 1592. quo illud concessum fuit, & quidem non principaliter, sed accessorie, ratione scilicet Parochiæ Z. respectu cujus

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

Ecclesia D. Filialis est, sibi vindicare intendit, sed frustra; nam

Neque ex hoc Indulto concludenter probatur regularitas hujus beneficii, vel amovibilitas ad nutum Abbatis Capellanorum, illud obtinentium. 1. mo quia deberet probari, quod Capellania hæc incorporata sit Monasterio. 2. Et si incorporata sit, quia tamen in dicto Indulto nulla sit istius Capellaniæ mentio, ideo Monasterium respectu istius non videtur gaudere posse eodem jure, quo Parochia Z. pro qua specificè concessum fuit istud Indultum; cum enim juxta commune juris axioma inclusio unius sit exclusio alterius, ex eo, quod per memoratum Indultum Monasterium obtinuerit facultatem exponendi ad Parochiam Z. Regulares vel sæculares ad nutum amovibiles, non sequitur, quod hæc facultas extendi debeat, vel possit ad alia Beneficia, in Indulto isto non specificata. Neque obest, quod Capellania D. subjecta sit Parochiæ Z. vigore fundationis de An. 1407. & transactionum de An. 1437. & 1488. non enim 3. inde concluditur, quod cum Parochia Z. etiam mutatus sit status hujus beneficii, & ut illa, sic etiam istud, vi dicti Indulti ex sæculari factum sit regulare; nam Indultum, quo mutatur status beneficii, est strictæ interpretationis, & non comprehendit, nisi quod exprimit. Imò 4. sæpe contingit, quod Capellani sint Parochi alteri subjecti, & eidem ad obedientiam illicitis, & honestis præstandam obligati, quin per hanc obligationem ipsa Capellania induat qualitatem, quam habet Parochia dominans. Exemplum affert Procurator fisci in loco quodam confini Monasterio N. ubi Beneficiati sæculares reguntur per Parochum regularem. Adde, quod filiales Ecclesiæ sæpe habeant alium Patronum, quam Parochiæ, quibus subsunt: quo casu, mutato statu Parochiæ dominantis, nisi Patronus Ecclesiæ filialis consentiat, statum suum antiquum retinet Ecclesia Filialis. Et hinc 5. to Eminentissimus Cardinalis Indulto hoc suo, quo per singularem favorem Parochiam Z. ex sæculari mutavit in regularem, non censetur hoc ipso complecti voluisse Capellaniam D. prout non malè videtur erui ex ipsius hujus Indulti clausula in fine ibi, quemadmodum etiam nos ceteris iuribus nostris Episcopalis non volumus in aliquo derogari. 6. Agnovisse hoc ipsum videtur Celsissimus Episcopus F. in literis die 19. Febr. 1654. datis, in verbis, dat bey aber Erinnerung beschehen, daß die Caplaney zu D. unter dem Cardinalischen Vergleich nit eingeschlossen; dahero einwieders ein Capellan dahin, wie vor altem Herkommen, zu præsentiren, oder der sie versihet, jährlich eine Commision zu erheben schuldig seye. 7. Ipsemet Reverendissimus Dominus Abbas

(Nann)

in

18.

in adjuncto impetrationis sub lit. A. fateatur, dispositionem, & gratiam ratione examinis, à Reverendissimo Domino Ordinario An. 1698. die 27. Sept. gratiosè concessam, non extendi ad beneficium D. haud dubiè ex hac sola ratione, quòd in transactione dicti anni 1698. non de beneficio isto, sed tantum de Parochia Z. fuerit facta specifica mentio. Pariter ergo idem beneficium non comprehendetur sub Indulto Cardinalitio de An. 1592. cum nec in isto expressum illud sit. Erit ergo beneficium D. accessorium quidem Parochiæ Z. ex capite subjectionis, non verò regularitatis; alioquin, si per Indultum hoc fuisset introducta regularitas hujus beneficii, vel saltem amovibilitas ad nutum provisorum eodem beneficio, non statim anno 1593. editionem Indulti istius subsequente ipse P. Conradus fuisset in eodem investitus, nec praxis investendi præsentatos ulterius subsecuta. Unde

19. 4to. Assertam regularitatem hujus Capellanæ, & prætenlam facultatem ponendi in ea Presbyteros vel regulares, vel sæculares ad nutum amovibiles fundare Monasterium deberet tandem in præscriptione. Sed neque in hac Monasterium fundare posse intentionem suam videtur; nam ad hoc, ut beneficium sæculare viâ præscriptionis transeat in regulare, & vicissim ex communi DD. requiritur imò possessio pacifica, per legitimum tempus continuata. Et quidem ad hoc, ut beneficium sæculare transeat in regulare, possessionem quadragenariam exigi, facile concedunt omnes DD. Ut verò regulare transeat in sæculare, aliqui cum

Gomez de expect. n. 106.
volunt sufficere decennalem; probabilius tamen etiam tum requiritur possessio quadragenaria, juxta ea, quæ tradunt

Tholof. synt. lib. 17. c. 3. n. 7. Azor. p. 2. lib. 3. c. 26. q. 3. Garc. de Benef. p. 7. c. 10. n. 35. Gonz. ad Reg. 8. Cancell. gloss. 7. n. 36. Sanch. lib. 7. mor. c. 29. n. 17. Palao tract. 13. D. 1. p. 3. §. 4. n. 3. cum aliis.

20. requiritur 2. ut possidentes tale Beneficium in eo sint instituti; nam sine institutione Beneficium obrineri non potest.

Reg. beneficium 1. de Reg. jur. in 6.
Neque sufficit institutio qualiscunque, sed requiritur imò ut instituti in eo sint, tanquam rectores ejusdem; neque enim suum statum amittere beneficium potest, si unus, vel plures illud rexissent ut Vicarii, vel conductitii Clerici.

Palao §. 4. cit. n. 5. Passerin. in c. 5. de prab. in 6. n. 22.

Et ratio est, quia Vicarius possidet beneficium non suo, sed alieno nomine: consequenter pro se non potest statum illius præscribere. 2. ut idem

Palao n. 5. cit.

notat, opus est, ut Clericus sæcularis Regulare beneficium administraverit tanquam sæcularis & Regularis sæculare tanquam Regularis; nam si regularis præficiatur Ecclesiæ sæculari, non ut Regularis, sed instar Clerici sæcularis, status beneficii sæcularis etiam quadragenariâ possessione non immutatur. 3. Necesse est, ut beneficium sæculare Regulari, & vicissim non sit collatum ex dispensatione; nam, ut cum aliis advertit

Pirhing ad tit. de prab. n. 122.

Dispensatio statum non mutat: consequenter nec possessio, quæ illi ininitur.

Requiritur 3. bona fides, & titulus. Et quidem, quòd bona fides sit necessaria, clarum est; quia malæ fidei possessor nullo unquam tempore præscribit. Quoad titulum videndum est, an beneficium, quod ex natura sua est regulare, transeat in sæculare, aut vicissim, an verò, quod ex natura sua est regulare, ut Abbatia, Præpositura, Prioratus &c. in Monasterio, redeat ad statum regularem, & contra, quod ex natura sua est sæculare, revertatur ad statum sæcularem. Si imum, præter 40. annorum possessionem pacificam opus est titulo, cum sine hoc talis beneficii non habeatur legitima possessio, vel, si titulus non adsit, opus est tempore immemorali, quo inducatur præsumptio tituli. Si secundum, titulo non est opus, sed hic supponitur, cum facilè res quæque ad statum suum primævum redeat.

Requiritur 4. ut beneficium conferatur animo, & intentione imprimendi alium statum beneficio, e. g. dicendo, *confero tibi beneficium sæculare*, quod revera est regulare, vel contra, *confero tibi beneficium regulare*, quod revera est sæculare.

Gonzal. l. cit. gloss. 8. n. 37. Sanch. c. 29. cit. n. 25.

Item, ut conferens habeat potestatem mutandi statum beneficii, qualis tantum est Ordinarius, nullus enim Prælati inferior statum beneficii mutare potest.

Corrad. prax. benef. lib. 1. c. 6. n. 32.

Perveniendo nunc ad casum præsentem, videtur imò in ipso deficere possessio requisita ad hoc, ut præscripta dici possit regularitas beneficii quæst. vel facultas libera ponendi in eo Capellanos vel Regulares, vel sæculares ad nutum Abbatis amovibiles; certum enim est ex ipsa Confessione Monasterii, quòd Capellania hæc fundata primitus fuerit pro Clerico sæculari, ut constat ex dictis num. 2. atque adeò primis illis temporibus Monasterium non fuit in possessione juris ponendi in eo Presbyterum vel sæcularem, vel regularem, sed institui debebant in illo Clerici sæculares, prout etiam juxta num. 5. instituti fuerunt usque ad annum 1573. & quidem nullo intermedio Presbytero regulari; nam de hoc

neutiquam constat. Unde cum juxta regulam præsumptionum communiter receptam, qualis res est, si talis manere possit, præsumatur adhuc talis esse, & talis mansura, nisi probetur mutatio, tamdiu censi debet Capellania hæc mansisse beneficium sæculare, quamdiu non probatur mutata esse in regulare. Proinde ad annum 1592. quo per Indultum Cardinalis consecutivè obtentam fuisse regularitatem hujus beneficii, & facultatem ponendi in eo regulares, vel sæculares Capellanos ad nutum amovibiles prætenditur à Monasterio, ipsum in possessione hujus juris non fuit

24. 2. Intuitu autem hujus Indulti non fuit misum in possessionem prædicti juris. Nam modo ut dictum est num. 18. Indultum hoc ad Capellaniam D. se non extendit; aliàs P. Conradus anno 1593. editionem hujus Indulti consequente non fuisset amplius in eo investitus, sed vi dicti Indulti, & conformiter isti accepisset commissionem cum clausula, ut ad nutum Reverendissimi Abbatis sui posset à beneficio isto liberè amoveri. Idem dicendum de aliis tribus regularibus, qui post hunc juxta dicta num. 7. usque ad annum 1615. Capellaniam hanc obtinuerunt, nam, si per hos incepta fuisset possessio regularitatis, & facultatis promiscuè promovendi ad hoc Beneficiū Clericos regulares, vel sæculares ad nutum amovibiles, deberet probari, quòd non fuerint investiti in illo, quippe cum investitura repugnet amovibilitati ad nutum. Cum ergo hoc non constet, & insuper ex antecedentibus investituris capiatur præsumptio, quòd etiam ipsi sint investiti, ex horum trium, & duorum priorum nempe P. Joannis M. & P. Conradi possessione, licet per 23. annos continuatà, iterum dici non potest probata fuisse possessio liberæ facultatis prædictæ, quippe cum in eorum assumptione non constet de voluntate Reverendissimi Ordinarii, quòd illos assumendo, & approbando ad curam hujus Capellæ voluerit mutare statum illius, eamque ex sæculari facere regularem, de qua tamen voluntate ad introducendam hanc mutationem doceri debet, & ostendi, quòd fuerit sufficienter manifestata, ut dictum est num. 22. & præter ibi allegatos requirit

Leuren. for. benef. lib. 1. c. 2. g. 33. n. 4. & 5.

25. 3. Ab anno 1615. usque ad annum 1640. per dicta num. 7. investiti in hoc beneficio fuerunt tres Sacerdotes sæculares, nempe D. Jacobus V. D. Sebastianus M. & D. Nicolaus V. nam id ostendunt literæ Reverendissimi Abbatis de anno 1654. in quibus hic fatetur investituram dictorum trium Sacerdotum. Et quidem, quòd pro Domino Sebastiano M. per Reverendissimum Abbatem in præsentatione, in favorem illius factà, anno 1625. ab Offi-

R. P. Schmalzgrueber Confilia,

cio Episcopali petita sit investitura, & confirmatio, aperte docent ipsæ literæ præsentationis, ibi, bitten denselben mit allen Würden und nothdürfftig dingen, so von Rechts und Gewohnheits wegen darzu gehörig, gnädiglich zu investiren, und zu bestättigen, und gewaltig zumachen. Cum verò prædictus Dominus Sebastianus M. beneficium hoc anno 1636. resignasset, & Reverendissimus Abbas ad beneficium hoc præsentasset Dominum Nicolaum V. eodem, quo pro priore, tenore etiam pro isto petita, & præmissa proclamatione data est investitura; sic enim formalia, pro Domino Parocho (dicendum erat Capellano) fiat proclamatio - - præsentatum ad curam admittimus, utpote non ita pridem examinatum. Horum itaque trium Sacerdotum sæcularium ad Capellaniam prædictam promotione, & investiturâ, siqua antea fuisset adepta possessio juris præsentandi regularem, vel sæcularem ad nutum amovibilem, illa fuisset interrupta.

4. Ab anno 1640. usque ad annum 1664. adeoque per 24. annos administraverunt quidem beneficium hoc, tanquam ad nutum amovibiles, quinque Conventuales. Sed præterquam, quòd hoc modo possessio amovibilitatis ad nutum dicto primùm anno 1640. incepisset, nec continuata fuerit, nisi per 24. annos, tempus istud ad præscribendam amovibilitatem non sufficit. Accedit, quia de his possessoribus, cum contra modum, quo antecessores illorum ad hoc beneficium promoti sunt, quippe qui investiti in illo fuerunt hætenus, ut amovibiles ad nutum istud acceperint, meritò controversio fieri potest, an non sint intrusi: quod vitium, utpote tollens legitimam possessionem, ut evitari posset, deberet Monasterium præsentationes Conventualium istorum producere, & quidem non ex privatis libris suis, sed in Originalibus. Proinde, donec eadem literæ præsentationis, & admissionis cum potestate præsentatum ad libitum Abbatis revocandi Originales producantur, iidem Conventuales haberi debebunt pro intrusis, & ad probandam præscriptionem amovibilitatis possessio illorum non serviet; nec enim aliter verificatur suppositum, nisi ex literis præsentationis originalibus, & probatione, quòd ejusmodi præsentationes sortitæ sint effectum, prout decisum est in

Salisburgensi Vicaria coram Eminentissimo Falconerio 31. Jan. 1714.

5. Dato etiam, & non concessio, quòd status sæcularitatis antea fuerit immutatus, & beneficium hoc factum regulare vel viâ Indulti Cardinalitii, num. 3. allegati, vel mediâ præscriptione, à Monasterio præsentâ, illud ipsum beneficium per possessionem Domini Andreæ S. qui illud ab anno

(Nnnn2)

no

26.

27.

no 1664. usque ad annum 1718. quippe, præmissâ proclamatione, investitus, administravit, 54. annis continuatam rediisset ad statum sæcularitatis antiquum. Opponit quidem Monasterium, quod investitura dicti Domini S. ab ipso fuerit ignorata, imò invalida, cum non fuerit conformis præsentationi illius, à Reverendissimo Abbate in favorem ejusdem datæ, utpote in qua expressè dixit quòd Capellania hæc aliàs sit beneficium regulare. Sed imprimis præscriptio etiam contraignorantes currit. Deinde, ut dictum est num. 8. saltem rumorem de investitura, Domino S. datâ, percepit Monasterium, debuisset ergo inquirere in veritatem hujus rumoris. Ulterius regularizatio ejusdem beneficii, à Reverendissimo Abbate in iisdem literis præsentationis allegata, non tantum debuisset asseri, sed etiam probari. Cum ergo, ut Reverendissimus Fiscus Episcopalis testatur, de hac regularizatione ex actis Consilii Episcopalis non constet, oportuisset edere instrumentum præsentis regularizationis, cujus editio quidem fuit petita, non tamen obtenta. Signum ergo est, quòd Monasterium in probatione illius deficiat. Denique ipse Dominus Abbas dictum Dominum S. præsentavit cum precibus, quatenus illi more antiquo, *dem alten Herkommen gemäß*, admittio ad curam concederetur. Mos autem antiquus fuit, ut Capellaniæ hac concederetur per investituram, adeoque in titulum perpetuum; neque enim Monasterium allegare potest ullum Sacerdotem sæcularem, quem antecessores ad illud, tanquam ad beneficium regulare præsentassent, vel ad nutum amovissent. Patet ex præsentationibus, factis per Reverendissimum Abbatem M. qui, utpote temporibus antiquioribus vicinior, ac de statu hujus beneficii probabiliter informatus, sciens insuper, quòd etiam regulares fuerint in eodem investiti, Sacerdotes sæculares conformiter foundationi, & statui per eam illi impresso, ad investituram præsentavit, nec ullatenus intendit inducere statum regularitatis, vel amovibilitatis ad nutum; aliàs eadem facilitate, quâ Dominus Abbas C. præsentationi Domini S. etiam ipse præsentationi istorum inferere potuisset clausulam, quòd beneficium hoc aliàs sit regulare, jure igitur merito Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis eidem Domino S. post præmissam à Domino Decano proclamationem, die 25. Aug. 1665. investituram decrevit: neque ista, etiamsi præsentatio manualiter fuisset facta, vitari per illam potuit; debebat enim fieri conformiter juri, & observantiæ antiquæ.

28.

6. Post obitum Domini S. qui ansam liti præsentis dedit, non statim fuit in beneficio hoc expositus regularis, sed inte-

rim cura animarum fuit commendata Clerico sæculari, & tum demum, postquam iste ad aliud beneficium promotus fuit, successivè tres regulares, juxta dicta num. 9. ad administrationem hujus Capellaniæ à Reverendissimo Officio admissi fuerunt, sed additâ clausulâ, *salvo tamen cujusque jure*: qui proinde ab anno 1719. Capellaniam istam hucusque tenuere, & adhuc tenent. Cum verò clausula ista sit reservatoria, & restrictiva, ejusdem in casu substrato ea vis est, ut Monasterium deducere debeat jura, quibus præsentam regularitatem hujus beneficii, & facultatem præsentandi ad illud Sacerdotes regulares, vel sæculares, ad nutum amovibiles inniti credat; in defectum verò probationis sufficientis Reverendissimo Ordinario referretur jus illud in casum vacaturæ iterum, ut antea, conferendi per investituram. Proinde in defectum dispensationis, vel præscriptionis, vel alterius tituli rite probati, nec istorum Religiosorum possessio, utpote precaria, & restrictiva, regularitatis hujus beneficii, & facultati libere in eo ponendi regulares, vel sæculares, ad nutum amovibiles, ut fatetur ipsum Monasterium, seorsim sumpta, suffragari potest.

Liquere ergo videtur imò quòd præscriptio, à Monasterio asserta, deficiat in possessione ad hanc requisitâ; nam imò per dicta num. 17. Capellania D. ex foundatione sua prima fuit beneficium sæculare, & primitus per annos complures administrata per Sacerdotes sæculares, legitime investitos. 2. Regularitas ipsius, & facultas ponendi in ea Sacerdotes regulares, vel sæculares ad nutum amovibiles, per deducta num. 18. non fuit inducta per Indultum Cardinalis; quia hoc Indultum concessum duntaxat fuit pro Parochia Z. 3. Licet diversis temporibus per relata num. 24. & seqq. illud administraverint etiam regulares, possessio tamen illorum per Sacerdotes sæculares, cum investitura in ea positos, sæpius fuit interrupta, ut adeò in præscriptione præsentâ deficiat continuatio per tempus legitimum. 4. multò minus defendere se Monasterium potest per possessionem immemoriam hujus præsentis juris; nam hæc non tantum allegari, sed etiam probari deberet, ostendendo, quòd de ulteriore alterius possessione non extet memoria, idque per testes, deponentes, quòd nunquam viderint, vel audiverint aliter contigisse, ut cum communi notat

P. Friderich de decim. p. 2. c. 4. q. 2. n. 453. & 454.

atque de antiquiore sæcularitatis, beneficio huic à primæva foundatione impressæ, possessione extat memoria, ac proinde testes potius deponent, quòd viderint, & audierint, sæculares Presbyteros illud possedisse;

29.

disse; quia constat istud ex multorum ad id factâ præsentatione: imò Monasterium ipsummet fatetur, quòd status sæcularitatis usque ad annum 1592. fuerit eidem impressus. Neque obest 5. quòd illud obtinuerint aliqui etiam Presbyteri Regulares; quia ex Actis habetur, quòd, ut dictum est suprâ, P. Conradus, & nonnulli alii, licet regulares, præmissâ proclamatione, fuerint in eo investiti, adeoque possederint illud juxta statum antiquum, & immutatum ut sæculare. Et hinc, quia juxta dictâ num. 20. ad hoc, ut viâ præscriptionis beneficium aliquod ex sæculari fiat regulare, requiritur, ut regulares beneficium sæculare possederint ut regulare, status illius sæcularis, etiamsi Regulares habuerint illud ut sæculare, etiam per 100. & plurimum annorum possessionem ita continuatam nunquam immutatur, nec illud regulare efficitur. Accedit 6. quia, si fuisset penes Regulares aliqua possessio hujus beneficii, ad summum illa, si etiam omnes illos annos numerare velimus, quibus illi beneficium istud obtinuerint, tantum durasset per annos 60. & quidem per Presbyteros sæculares intercedentes interruptos: quod utique ad præscriptionem immemorabilem regularitatis probandam nequitiam sufficit. Dicendum ergo, quòd Regulares isti beneficium istud potius obtinuerint ex dispensatione, quod iterum juxta dictum num. 20. ad præscriptionem immemorabilem non sufficit. Proinde 7. usque dum Monasterium præsentationes regularium in forma probante producat, & simul ex iis probet, quòd iidem debito tempore illud ut regulare possederint, possessio sæcularitatis dicenda est semper mansisse, & adhuc manere penes Reverendissimum Ordinariû, idque stante clausulâ, admissionibus trium ultimarum Regularium additâ, quippe quæ non generalis est, ut vult Monasterium (alioquin omnibus infereretur admissionibus) sed specialiter annexa ad hoc, ut Reverendissimo Ordinario, qui tunc temporis ex causis sibi notis Processum evitare, & minitatem à Monasterio appellationem declinare volebat, jus sæcularitatis tam quoad possessorem, quàm quoad petitorium maneret saluum. Cum ergo clausula ista insolita, & in aliis admissionibus insueta vim habere debeat reservandi Ordinario omne jus, quod prius habebat, consequenter etiam Possessorii, dici nequit, quòd per additionem hujus clausulæ jus prætenitæ regularitatis Monasterio maneat integrum, quippe quod nondum probatum est legitime à Monasterio hucusque legitime fuisse possessum.

30. 2. Deficit etiam in præscriptione prætenitæ ex parte Monasterii titulus, nec adeò male dubitari potest de bona fide; nam imò scit Monasterium, quòd beneficium

hoc à fundatione anno 1407. factâ, fuerit sæculare, & sæculariter, utpote per investituram etiam à Regularibus possessum usque ad annum 1592. 2. scit, vel scire debuit, quòd idem beneficium, utpote speciale, & separatum, itante præcipuè contradictione Celsissimi num. 18. y. 6. allegatâ, sub Indulto, quò Parochia Z. fuit facta regularis, non comprehendatur. Deinde. 3. post modicam, & ab anno 1593. usque ad annum 1615. per tres Conventuales continuatam hujus beneficii possessionem Reverendissimus Dominus Abbas M. mox iterum tres sæculares absolute ad investituram præsentavit. Dixit quidem Dominus Abbas C. hoc factum fuisse ob fatalitatem peltis tum grassantis, & enatam inde penuriam Sacerdotum regularium, qui præesse beneficio huic possent. Verum causa ista eo tempore non adfuit, quippe cum, ut Reverendissimus Fiscus asserit, non tum, sed primum circa annum 1636. grassabatur peltis; alioquin Reverendissimus Abbas M. hanc Religiosorum penuriam, utpote causam impulsivam ad præsentandum dictos sæculares pro investitura expressisset. Proinde 4. causa vera illos sæculares ad beneficium absolute, & illimitate præsentandi fuit sæcularis status illius, cui conformiter dein anno 1664. Dominus S. non clandestinè (ut opponitur à Monasterio, & probari ab eo deberet) sed instar antecessorum, non attentâ illegitimâ præsentationis immutatione, fuit in eo investitus. Proinde per dictos sæculares Beneficiatos, & præcipuè per quinquagenariam possessionem Domini S. à Reverendissimo Abbate tunc temporis, non obstante, quòd tum penuria Sacerdotum Regularium, qui beneficium hoc administrare poterant, nulla fuisset, præsentati, continuata fuit antiquissima sæcularitatis beneficii istius possessio: quæ dein 5. per promotionem trium ultimarum Regularium non fuit abrupta, utpote quæ facta est cum clausula salvatoria juris præhabiti, & beneficii statum non immutat, sed tantum concedit parti alteri potestatem allegandi, & probandi etiam sua jura. Cum ergo Monasterium jus regularitatis istius beneficii, & facultatem liberè ponendi in eo regulares, vel sæculares ad nutum amovibiles, hactenus non probaverit, saluum adhuc videtur clausulæ manet Reverendissimo Ordinario jus sæcularitatis dicti beneficii: adeoque deficit in præscriptione prætenitæ titulus, & consequenter bona fides, cum sine titulo bona fides nullatenus detur.

3. Denique Capellania ista, licet obtinuerint illam nonnulli Regulares, non tamen ipsis concessa fuit animo mutandi statum istius, & ex sæculari faciendi Regularem, prout ad convertendum beneficium

31.

(Nnnn3)

ficium

ficiū ſeculare in regulare per dicta *num.* 22. requiritur; nam imò nūpiam hanc ſuam mentem manifefſtavit Reverendiſſimus Ordinarius, & ſi manifefſaſſet, voluntas iſta deberet doceri à Monafterio. Imò 2. contrariam voluntatem Ordinarius circa primos regulares, eos inveſtiendo, ſufficienter manifefſtavit; hoc ipſo enim illud poſſederunt ut ſeculare, ſecundum impreſſam ipſi à fundatione qualitatem. 3. Qui poſſederunt illud ab anno 1640. uſque ad annum 1664. Conventuales, juxta dicta *num.* 26. meritò habentur pro intruſis, cum contra morem, quo antecellores illorum ad id promoti ſunt, non fuerint inveſtiti: quod proinde vitium promotioni ipſorum inhæret, & legitimam poſſeſſionem tollit, donec Originales literas præſentationum, & admiſſionum illorum, ſub qualitate amovibilitatis iſdem factas, exhibeat Monafterium. 4. Ultimi tres Regulares, poſt Dominum S. ad beneficiū illud promoti, vi clauſulæ ſalvatoriæ, admiſſioni illorum adjectæ, tantum fuerunt tolerati in hoc beneficio, nec aliter inſtituti in illo, niſi ſub conditione, ſi Monafterium probaverit mutationem illius ex ſeculari in regulare. Proinde ex iſta clauſula patet, quòd Ordinarius ſtatum illius noluerit immutare, ſed potiùs præſervare ſtatum ſecularitatis antiquum, niſi contrarium doceatur. Et ideo 5. licet cauſa præſentæ regularitatis à Monafterio tum temporis coram Officio Eccleſiaſtico à Monafterio fuerit propoſita, deſuper tamen concluſum ibidem fuit, ut, cum ultimus Poſſeſſor, ante hos tres regulares, nempe Dominus S. fuerit ſecularis, allegatum Privilegium, vel præſcriptio regularitatis, contra jus commune, & præſumptionem aſſertum, doceri debeat. Adde, quòd, etiamſi Reverendiſſimum Conſilium Eccleſiaſticum, admittendo tres iſtos Regulares, facto ipſo agnoviſſet regularitatis poſſeſſionem legitimam, ſibi que per ſæpius dictam clauſulam reſervâſſet quælecunque denique petitorium, ex præſumptione generali, quòd beneficia debeant haberi pro ſecularibus, niſi contrarium probetur, tamen, quia cauſa contentioſa (prout eſt præſens) non in iſto, ſed in Reverendiſſimo Vicariatus, vel Officiatus officio per decreta, & ſententias terminantur, quòd concluſum in dicto Conſilio fuiſſet, Monafterio profuturum neutiquam fuiſſet.

32.
Reſponſio
ad rationes
dubitandi.

Ad hucusque oppoſita venerabile Monafterium ita fere reſpondet. *Ad num.* 15. & duos ſequentes conceditur imò quòd beneficiū quodlibet in dubio potiùs præſumatur eſſe ſeculare, quàm regulare; hoc enim probant authoritates allegatæ *num.* 15. *cit.* Et hinc 2. non negat, quòd is, qui contendit, benefi-

cium aliquod eſſe regulare, probare hoc debeat vel ex iſtrumento fundationis, vel ex Privilegio, aut præſcriptione. 3. Ultro fatetur Monafterium, beneficiū hoc primitus fundatum fuiſſe pro Sacerdote ſeculari, ſicut etiam primis temporibus adminiſtratum fuit per Sacerdotes ſeculares. Negat autem, ut videre eſt *num.* 5. quòd hic mos ponendi in eo Sacerdotes ſeculares fuerit ſemper continuatus; nam illud, ut *num.* 5. *cit.* dicitur, poſt Dominum Georgium M. tenuit P. Joannes M. Conventualis, qui, ut ex necrologio Monafterii conſtat, actualis Capellanus in D. fuit, & mortuus eſt anno 1587. adeoque ante Indultum, à Cardinali anno 1592. obtentum. Hunc circa annum 1557. præceſſit P. Matthias, quem Patronus Fiſci dicit fuiſſe ſecularem, ſed per errorem; nam ex dicto necrologio repertus eſt fuiſſe regularis. Neque obſt, quòd non conſtet, an ante dictum Indultum plures adhuc regulares illud adminiſtraverint. Probabile eſt, quòd, ſicut dicitur *num.* 2. poſt donationem Parochiæ Z. factam cum onere ponendi ibi Sacerdotem ſecularem, tractu temporis (de cujus initio non conſtat) tam ad hanc, quàm ad ipſam Capellaniam promiſcuae modò Regulares, modò ſeculares promoti fuerint. Conſequenter jam tum incepta eſt poſſeſſio regularitatis, & facultatis ponendi in hac Capellania Sacerdotes vel regulares, vel ſeculares, ceſſatque præſumptio, quòd regulares, qui illud obtinuerunt ante dictum Indultum, ad id promoti ſint ut ſeculares.

Ad num. 18. Si regularitas hujus Capellaniæ, & facultas ponendi in ea pro libitu Regulares, vel ſeculares Presbyteros, ad nutum amovibiles, obtenta non fuit antea per longum uſum hujus facultatis, ſaltem eam facultatem conſecutum eſt Monafterium vi Indulti Cardinalitii, nam imò quòd incorporata illa ſit Monafterio, dubitari non poteſt, quippe cum jam anno 1508. in libro, in quo ſubſidia charitativa inſcripta ſunt, fol. 776. Eccleſia D. expreſſe tanquam incorporata inſcripta ſit, uti teſtatur Dominus Officialis, cui liber iſte inſpiciendus eſt traditus. Dependet ergo res à modo incorporationis, an ſcilicet Capellania hæc pleno jure incorporata ſit Monafterio; nam ſi pleno jure, hoc eſt, tam quoad temporalia, quàm quoad ſpiritualia incorporata eſt, abſque ulla ulteriori Sedis Apoſtolice permiſſione, ex Privilegiis Regularium plerorumque, vel communicatione illorum pro adminiſtratione ejusdem deputari regularis poteſt: conſequenter beneficiū hoc factum eſt regulare, ut pluribus allegatis advertit

Emi.

Eminentissimus Card. Petra tom. 2.
comment. fol. 15. n. 44.

Videtur autem ita incorporata esse hæc Capellania; nam sic incorporata est Monasterio ipsa Parochia Z. & quidem expressè cum facultate, ut Reverendissimus Abbas N. possit in posterum perpetuis temporibus illi Presbyteros sive Religiosos, sive sacculares ad nutum suum, suorumque successorum assumendos, & amovibiles præsicere. Cum ergo Ecclesia D. ex prima sua dotatione, item ex transactione anno 1437. & 1488. inita, ac postea à Celsissimo Episcopo confirmata, cum Ecclesia Z. unam, eandemque Parochiam constituat, & principalis cura incolarum D. ad Parochum Z. pertineat, & propterea Capellanus in D. ipsique loci iltius incolæ, quoad quatuor Festiva principalia, Communionem Paschalem administrandam, sepulturam mortuorum, & alia Parochialia jura, item ad decimas minores præstandas, obligati sint Parocho in Z. cumque insuper vi ejusdem transactionis Parochus tam pro se, quam pro Capellano suo fructus primos uno, eodemque actu solvere teneatur: dubium esse nequit, quod per hoc ipsum, dum Parochia Z. vi Indulti Cardinalitii facta est regularis, & facultas data ponendi in ea Sacerdotes vel sacculares, vel regulares ad nutum amovibiles; eadem qualitas, & facultas obrenta sit pro Capellania D. Hinc

34. 2. Non obest, quod in Indulto hoc non fiat specifica mentio ejusdem Capellaniæ; cum enim Ecclesia D. cum Ecclesia Z. ut dictum est, constituat unam, eandemque Parochiam, & hæc Parochia sine exceptione facta sit per Indultum hoc Regularis, per illud ipsum Indultum qualitatem regularitatis, & amovibilitatis ad nutum obtinuit etiam Ecclesia D. Et hinc ad præsentem casum non quadrat axioma juris allegatum, quod inclusio unius sit exclusio alterius; nam Ecclesia D. revera per hætenus deducta censei debet inclusa in dicto Indulto, cum juxta

Reg. accessorium 42. de R. J. in 6.

Accessorium naturam sequi congruat principalis. Et hoc revera tempore ejusdem Indulti, & etiam ante illud persuasum erat Reverendissimo Officio, quippe cum in utroque loco, scilicet tam in Ecclesia Z. quam in Capellania D. plures regulares ante, & post Indultum hoc fuerint præsentati, & admissi absque ulla contradictione, quam certe idem Reverendissimum Officium saltem post dictum Indultum opposuisset, nisi eodem Indulto (quippe quod in manibus habebant, & adhuc habent) censuisset Capellaniam hanc reipsa fuisse inclusam. Proinde

35. 3. Bene concluditur, quod saltem per hoc Indultum cum Parochia Z. mutatus

sit primævus status hujus beneficii, & illud pariter ex sæculari factum regulare; licet enim hujusmodi Indulta, per quæ beneficiorum status mutatur, sint strictæ interpretationis, & propterea, sicut in exemplo allegato, sæpe contingat, quod Capellani sint Parocho alteri subjecti, & eidem ad obedientiam præstandam obligati, quin per hanc subjectionem, & obligationem ipsa Capellania induat qualitatem, quam habet Parochia dominans, id tamen fit, vel quia talis Ecclesia Filialis habet distinctum Patronum, vel quia ex fundatione, non immutata, instituta est, ut regatur à certo genere Sacerdotum. Contrarium fit in Capellania D. nam ista eundem Patronum habet, quem Parochia Z. nempe Reverendissimum D. Abbatem N. pro tempore existentem, & insuper, licet primitus fundata sit pro Clerico sæculari, sicut ipsa etiam Parochia Z. tamen utriusque status immutatus fuit per Indultum Cardinalitium, quo juxta dicta num. 33. eadem Parochia, consequenter etiam dicta Ecclesia Filialis D. pleno jure incorporata est Monasterio, & facta regularis cum facultate liberæ ponendi in ea Sacerdotes vel regulares, vel sacculares ad nutum Abbatis amovibiles.

4. Imprimis ex veriori doctrina non requiritur, ut ad effectum faciendi beneficium ex sæculari regulare, conferatur illud animo, & intentione velut imprimendi eidem alium statum, sed ut

Passerin. in c. 5. de præbend in 6. n. 24.

bene advertit, sufficit, quod conferens intendat conferre beneficium ut regulare. Neque alia fuit mens Cardinalis, dum enim pro Ecclesia Parochiali Z. (utique cum districtu suo) concessit, & dedit facultatem Reverendissimo Abbati, ejusque Successoribus facultatem, ut in posterum eidem de idoneis, sive Religiosis sui Ordinis, & Monasterii, sive secularibus Presbyteris ad nutum, & voluntatem suam assumendis, & amovendis providere liberè possint, & valeant, hoc ipso eandem facultatem concessisse censetur pro Capellania D. utpote sita in eodem districtu, & Parochia, & ut dictum est num. 31. cum hac Monasterio pleno jure unita, & incorporata, quippe cum per hujusmodi unionem, & incorporationem extinguatur prior in tali Ecclesia titulus, ipsaque fiat membrum Monasterii, & beneficium regulare, consequenter conferibile Regulari. Neque aliud probat clausula, Indulto huic adjecta in verbis, quemadmodum etiam nos ceteris juribus nostris Episcopalibus non volumus in aliquo derogari; sicut enim pro Parochia Z. manent Ordinario salva jura Episcopalia reliqua, ita etiam pro Ecclesia Filiali D. quin in hac debeat constitui, & investiri Capellanus sæcularis.

5. Cel:

36.

88

37.

5. Celsissimus F. solum dixit, sibi fuisse relatum, quod Capellania D. non comprehendatur in isto Indulto, postquam tamen Reverendissimus Abbas in literis 13. Mart. 1654. ad eum datis informationem dedit ex dotatione ejusdem Capellaniæ, & transactionibus circa eam initis & ab Ordinario confirmatis, quod Capellanus in D. Parocho Z. subsit, hic pro illo primos fructus tantum una vice, & præstatione solvat, ipsique D. Parocho eidem in cura animarum sub certis limitibus subjecti sint, adeoque eadem Ecclesia Filialis, licet in Indulto Cardinalitio specificè ejusdem non fiat mentio, tamen ab hoc exclusa non sit, idem Celsissimus clementissimè annuit, ut Capellanus juxta antiquam consuetudinem vel præsentetur, vel ille, qui eam administrat, quovis anno commissionem pro cura animarum administranda ex Reverendissimo Officio procuret: quod certè non fecisset, nisi Capellaniam in Indulto isto inclusam credidisset. Neque obest, quod dispositio, & gratia ratione examinis, quoad Parochiam Z. anno 1698. à Reverendissimo Ordinario facta, non extendatur ad Capellaniam D. nam gratia hæc posterior est Indulto: Monasterium autem non præterdit favores alios pro Capellania D. nisi qui concessi sunt per ipsum Indultum. Cum ergo jam anno 1294. antequam fundata esset hæc Capellania, Reverendissimus Ordinarius de expresso consensu, & libera voluntate Reverendissimi Capituli Cathedralis Ecclesiam Z. cum omnibus obventionibus, & redditibus istius donaverit Monasterio N. & Cardinalis per Indultum suum conditionem, per quam ipsum Monasterium tenebatur præsentare ad dictam Ecclesiam Sacerdotem sæcularem, sustulerit, idem favor, qui principaliter quidem collatus est ipsi Parochiæ, consecutivè tamen competet etiam Ecclesiæ in D. quippe quæ ejusdem Ecclesiæ Parochialis pars, & accessoria est.

38.

6. Cum ergo juxta hætenus deducta Capellania quæst. per Indultum Cardinalitium facta sit regularis, quoad Capellanos in hac instituendos observanda erit communis doctrina tradita per

Garc. p. 1. de benef. c. 4. n. 4. Palao tract. 13. D. 1. p. 5. n. 17. Pirhing ad tit. de prob. n. 14. König. ibid. n. 9. Wiestner dist. tit. n. 31. & alios,

juxta quam in dubio beneficia sæcularia præsumi debent esse titularia, regularia verò, nisi aliud constet, manualia: cujus ratio est, quia beneficia singula talia esse præsumuntur, qualis est ipsorum natura propria. atqui beneficia sæcularia, suapte naturâ, & jure ordinario sunt titularia; sunt enim perpetua, & irrevocabilia, nisi ex causis in jure expressis.

can. præcepta 12. dist. 55. can. satis. 7. dist. 56. can. fin. dist. 70.

Contra verò beneficia regularia pleraque secundum jus ordinarium, & ex natura sua ratione voti obedientiæ sunt manualia, ita, ut illa obtinentes amoveri inde ad nutum possint, ergo &c. Hinc non obstat, quod post dictum Indultum aliqui Regulares, & quidem expressè P. Conradus, fuerint investiti in ista Capellania; nam investitura hæc vel ex speciali dispensatione, vel per errorem contra jus celebrata fuit, utpote cum, ut modò dictum est, Regulares beneficia possidere nequeant, nisi sub amovibilitate ad nutum sui Abbatis.

Ad num. 19. & sequentes usque ad num. 29. etiam dato: & non concello, quod Capellania hæc qualitatem regularitatis, & amovibilitatis ad nutum non obtinuerit per Indultum Cardinalitium, meritò tamen dici potest, quod qualitatem hanc consecutus fuerit mediâ præscriptione. Unde in hac rectè se fundat Monasterium, quippe cum rite probari possit, quod ex essentialibus requisitis pro inducenda præscriptione, num. 20. 21. & 22. allegatis nullum desit, nisi quartum, juxta quod nonnulli ad hoc, ut viâ præscriptionis inducatur mutatio beneficii in alium statum, desiderant, ut beneficium conferatur animo, & intentione eidem imprimendi alium statum. Sed, ut bene advertit

Passerin. in c. 5. de prob. in 6. n. 24.

videtur hoc requiri non posse; vel enim in conferentis potestate est ex sæculari beneficio facere regulare, vel non. Si primum, præscriptione opus non erit, cum eo momento, quo tale beneficium ab illo tali animo confertur, regulare efficiatur ex sæculari. Si secundum, per hoc ipsum, quod conferens, & collatarius sciant beneficium, sibi collatum ut regulare, esse sæculare, bona fides videtur tolli. Oportet quidem, ut conferens, non habens potestatem mutandi statum beneficii, & faciendi illud regulare, intendat regularitatem, quia oportet, ut intendat illud conferre ut regulare; sed non est necesse, ut sciens statum beneficii imprimere eidem velit statum contrarium. Unde solummodo disquirendum hic est, an asserta præscriptio habeat reliqua requisita, in num. 20. & 21. allata.

Et quidem, quod adsit possessio requisita ad hoc, ut dici possit præscripta regularitas, & amovibilitas ad nutum in hoc beneficio, vel Capellaniâ, patet ex hoc, quia imò ut dictum est num. 2. licet illud primitus pro Sacerdote sæculari fundatum fuerit, tamen tractu temporis, cujus initii non extat memoria, ad illud, sicut etiam ad Parochiam Z. præsentati à Mo-

Monasterio fuerunt Presbyteri promiscuè tam sæculares, quàm Regulares de Conventu: adeoque jam tum istud possidere coepit facultatem alternativam præsentandi vel sæculares, vel Regulares. Neque obest, quòd plurimi eorum, præsertim Regulares, utpote manualiter tantum ad illud administrandum admissi, non possederint illud proprio nomine, sed ut Vicarii, adeoque statum illum pro se non potuerint præscribere; quia addo stante incorporatione hujus Capellaniæ pleno jure, prout juxta dicta num. 33. videtur facta, ita debebat fieri, cum per talem incorporationem extinguatur titulus beneficii uniti, & illud eveniat pars, & membrum beneficii, cui unitum est. Ethinc 3tio illi Regulares, qui ante, vel post sæpè dictum Indultum Cardinalitium investiti fuerunt tum in Parochia Z. tum in Capellania, cum talis investitura per se repugnet in Regularibus ratione voti obedientiæ, quod exigit, ut, qui ex iis beneficia inferiora obtinent, inde ad nutum amoveri possint, investituram vel per errorem, vel dispensativè acceperunt, quorum neutrum præscriptioni regularitatis præjudicat; nam dispensatio, ut dictum est num. 20. statum beneficiorum non mutat, consequenter nec possessionem, quæ illi innitur.

41. Ad num. 25. Quod tres illos Sacerdotes sæculares concernit, imprimis illos investitos fuisse primum Monasterio innotuit per communicatas ipsi copias tum literarum Reverendissimi Abbatis, in quibus hic fatetur investituram dictorum trium Sacerdotum, tum præsentationum, per quas investitura à Reverendissimo Patrono petita fuit: ubi notandum, quòd solum duorum posteriorum præsentationes in copiis transmissæ sint, primi verò solummodo investitura edocta fuerit per communicatum Extractum Protocolli. Hinc non immerito petitur, ut etiam de hujus præsentatione communicetur copia authentica; forsan enim in hac expressa erit causa, ob quam Reverendissimus Abbas M. post Religiosum P. Joannem S. præsentaverit Sacerdotem sæcularem. Verum etiam sine his ostendi potest causa, quare tum nulli fuerint Sacerdotes regulares ad Capellaniam hanc præsentati; nam 2. eo tempore ob pestem grassantem magna fuit penuria Regularium, quippe cum lue hac complures ex Monasterio unà cum Abbate consumpti fuerint, ita, ut in electione Successoris Abbatis, qui subinde tertium sæcularem præsentavit, non plures, quàm novem Electores fuerint. Eadem ex causa grassantis contagionis ad hanc electionem nullus ex aula Episcopi missus est Commissarius, sed commissio data Domino Decano in T. qui nomine Ordinarii electioni interfuit. Fuit ergo necessitas, ut propter allegatam penuriam Regularium

R. P. Schmalzgruber Consilia

assumerentur Sacerdotes sæculares. 3. Quòd verò hi tres Sacerdotes sæculares ad investituram præsentati fuerint, non obstante, quòd hoc beneficium sit regulare, causa esse potuit, quòd non facile repertus fuisset Sacerdos sæcularis, qui talem provinciam fusciperet, si, cessante periculo, & penuriâ Regularium, potuisset ad libitum amoveri. Atque hinc 4. per hoc, quòd Reverendissimus Abbas M. post complures Regulares sæcularem ad Capellaniam hanc pro investitura præsentaverit, non potest ille præsumi voluisse renuntiare regularitati ejusdem, vel illam perdere, quippe quæ præsentatio ex necessitate est facta; sed potius evincitur contrarium ex eo, quod Abbas subsequens post ultimum ex dictis tribus Sacerdotibus sæcularibus statim iterum exposuerit Regularem, & Successores præsentando itidem Regulares continuaverint usque ad annum 1654.

Proinde per horum trium sæcularium promotionem non potest dici præscriptio regularitatis fuisse interrupta. Nam ex communi DD. præscriptio interrumpi dupliciter potest, scilicet vel naturaliter, vel civiliter. Naturaliter interruptitur, si post eam ritè inchoatam aliqua ex conditionibus requisitis deficiat, fortè, quòd mala fides superveniat, titulus resolvatur, possessio amittatur. Civiliter verò, quando jus possidendi per aliquem actum juridicum in dubium revocatur, quod fit per citationem, litis contestationem, & maxime per sententiam. In casu præsentati per dictorum sæcularium Sacerdotum promotionem præscriptio regularitatis, & amovibilitatis ad nutum non est interrupta naturaliter; nam, ut dicitur infra num. 48. bona fides, & titulus, saltem præsumptus, mansit, & mansit etiam Possessio minimum civilis, quippe ad quam conservandam, seu retinendam plerumque sufficit solo animo possideri.

1. possideri 3. §. sed & si 7. ff. de acquir. vel amittend. possess.

Animus autem regularitatem, & amovibilitatem ad nutum dicti duo Reverendissimi Abbates, ut num. præced. dictum est, nequaquam deposuisse censentur horum trium promotione ad investituram, sed usi sunt suo jure, quippe cum per facultatem præsentandi amovibilem non coarctetur libertas, ut non possit ex certis causis præsentari aliquis ad investituram. Est ergo præsentatio cum libera facultate amovendi præsentatum ad nutum actus meræ facultatis, & Privilegii accepti usus, quem exercere, & non exercere in arbitrio Privilegiati est positum, quin iste non utendo Privilegium hoc suam perdat. Multò minus præscriptio asserta interrupta dici potest civiliter; neque enim usque ad ultima hæc tempora per ullum actum juridicum jus possidendi facultatem ponendi

(Oooo)

in

in Capellania quæst. Sacerdotes Regulares, vel sæculares ad nutum amovibiles in dubium revocatum fuit, sed etiam post tres istos sæculares Capellanos substituendo his Regulares sine contradictione exercitum. Nocere proinde illi non potuit horum trium sæcularium possessio, ad viginti tres annos producta, præsertim cum insuper tempus istud notabile non fuerit respectu temporis antecedentis, & subsequenter, quo Capellaniam istam Regulares administravere.

43.

Ad. num. 26. Imprimis possessio facultatis ponendi in hoc beneficio pro arbitrio Capellanos vel Regulares, vel sæculares jam fuit inchoata ante annum 1592. quo emanavit Indultum Cardinalitium sæpe dictum; nam prius jam, ut num. 2. dictum est, tam in isto, quam in ipsa Parochia Z. promiscue modò Regulares, modò sæculares sunt positi: quod fieri non potuisset etiam olim de jure ordinario, si Capellania hæc mansisset beneficium sæculare; nam etiam tum observabatur regula, quòd beneficiis sæcularibus præfici debeant Clerici sæculares, & Regularibus Regulares, & tantum tunc conferri sæcularia beneficia curata poterant Regularibus, quando urgebat necessitas, vel evidens utilitas, ut constat ex

can. in Parochia 31. can. cum pro utilitate 34. caus. 16. q. 1.

Neque obstat, quòd 2. de primis illis Regularibus, ad Capellaniam istam promotis, non constet, an investiti, an verò amovibiliter solum expositi in eo fuerint; nam posterius hoc potius in dubio præsumendum est ob naturam statûs Regularis, & voti Obedientiæ, juxta quod Regulares expositi in beneficiis ad nutum revocari ad Monasterium possunt. Siqui verò Regulares (prout num. 6. refertur de P. Conrado) investiti in Capellania hac sunt, dispensative hoc factum est: consequenter, cum dispensatio beneficii statum non mutet, possessio Regularitatis, semel inchoata, illæsa manet, atque adeò 3. quinque illi Conventuales, qui ab anno 1640. usque ad annum 1664. Capellaniam istam tanquam ad nutum amovibiles, administrant, ex hoc solo capite, quòd sub tali qualitate ad illud præsentati sunt, pro intrusis haberi nequeunt; nam illorum præsentationes, admittendo illos sub tali qualitate, ratas habuit Reverendissimū Officium, quod utique se opposuisset, si præsentationes istæ contra jus, & morem antecessorum fuissent factæ. Nescio autem, quomodo Reverendissimus Fiscus Episcopalis ad probationem faciendam exigere possit, ut ipsum Monasterium producat ipsas originales literas præsentationum, quippe cum istæ mitti Ordinariis, quibus præsentatio fit, & non amplius remitti soleant. Proinde, donec inde exhibeantur dictæ origi-

nales literæ, & ex his doceatur contrarium, pro intentione Monasterii probanda sufficienti istius libri; nam, etsi libri Monasteriorum pro ipso Monasterio non plenè probent, id tamen solummodo verum est regulariter, & cum exceptione, si scilicet in archivo publico sint asservati, aut si loquantur de antiquis, & memoriam hominum excedentibus, quippe in quibus ob probationis difficultatem leviores recipi probationes solent.

Ad num. 27. Dominum S. Reverendissimus Abbas C. non præsentavit ad investituram, sed tantum petiit, ut cura animarum ipsi committatur, more hætenus observato. Patet ex literis præsentationis de dato 17. Jul. 1664. ubi formalia: Demnach dieses Beneficium s. durch Herrn forderung s. P. Placidi vacierend, und ledig worden s. daß hierauf s. Ihro Fürstl. Gnaden, oder derselben Hrn. Vicarien den würdigen wohlgelehrten M. Andreas S. s. auf gemeldte Caplaney, so Capellania curata ist zu D. weilen ich selbige, als sonst ein Regular-Beneficium, dermahls wegen Mangel der Religionen anderst nit versehen lassen kan, hiermit der Gebühr præsentiret, auch darbey unterthänig, und freündlich gebetten haben will, ihm die gebührende Curam animarum bemeldtem D. præstatis ab eo præstendis, in Gnaden dem alten Hertzommen gemäß zu committiren etc. Unde hac præsentandi formulâ nequitiam præjudicare Regularitati hujus beneficii censeri potest idem Reverendissimus Abbas; nam imò aperte dixit hoc beneficium esse Regulare, & ideo, cum beneficia Regularia inferiora ex natura sua sint manualia, addidit, ut admissio Domini S. fiat modo hætenus consueto, voluitque, ut admittatur cum amovibilitate ad nutum, non verò in eo investiat. Quod ipsum idem Reverendissimus Abbas reperit in literis de eodem dato scriptis ad Reverendissimum Dominum Vicarium Generalem, ibi, est in pago meo D. Ecclesia, seu Capellania, cujus tametsi cura ad Parochum Z. principaliter pertineat, ac ob id decimas minores cum oblationibus quatuor principaliorum festorum eidem ritè persolvantur, curatum tamen habuit hætenus Capellanum, Clericum sive sæcularem, sive Religiosum, secundum tenorem Indulti ab Eminentissimo Cardinale, & Reverendissimo Cathedralis Ecclesie Capitulo obtenti, ad nutum amovibilem. Quia verò præsentis Capellani, Conventualis mei, P. Placidi operâ nunc in Monasterio meo indigeo, præsentare volui R. D. Andream S. cui ut more hætenus solito Reverendissima Dominatio vestra admissionem impertiri dignetur, rogo etc. Confirmatur 3. ex literis, ab eodem Reverendissimo Abbate ad Dominum Procuratorem suum 19. Jul. dicto anno 1664. datis, ubi formalia:

Deme

44.

4

Demselben lasse unverhalten, was maſſen ich entschlossen die in meinem Flecken D. habende Capellaniam curatam, so ich biß anhero durch einen meiner Religioſen hab verſehen laſſen, und ſonſt zu der Pfarr D. gehörig iſt, anhero einem ſeculari zu verleyhen, und allbereits auf bittliches Anhalten Srn. M. Andrea S. eine Præſentation daraufhin zugeſtellt. Solchemnach der Herr dahin ſehen würde, daß ihm Srn. S. cura animarum, und ſolche Admiſſion der Herkommenheit geſchicklich ertheilet werde, gleichwie es biß dahero im Gebrauch geweſen: welches ich darumen demſelben deſto mehrers recommendiret haben wolte, damit nit erwann, wie bey der Pfarr W. beſchehen, ein Fehler unterlauffen möchte, ſo er mit ſeiner bekannten Dexterität zu verſehen wiſſen würde.

45. Ex quo ſequitur, quod, poſitâ immutatione ſtatûs ſecularis in regularem quoad Capellaniam hanc, per poſſeſſionem dicti Domini Andrea S. 54. annis continuatam, illud ipſum beneficium nullatenus ad ſtatum ſecularem redierit, debuiffet enim rediſſe viâ præſcriptionis, prout Reverendiſſimus Fiſcus Episcopalis contendit: non potuit autem ſic rediſſe; nam 1. tempus iſtud non eſt ſufficiens ad præſcriptionem complendam contra Monasterium N. quippe cûm contra Ordinem, & Monasterium S. Benedicti, ut cum pluribus aliis notat

Donat. prax. Reg. p. 1. tract. 12. q. 10. n. 6. & 11.

ex privilegio Eugenii IV. non præſcribatur, niſi 60. annis. 2. Dubitari meritò poteſt, an idem Dominus S. revera fuerit inveſtitus: & hinc Procurator Monasterii meritò rogat, ut in originali oſtendatur ipſi inveſtitura in hoc beneficium, facta in perſona ejusdem Domini S. 3. Accedit alterum dubium, an caſu, quo ille inveſtitus revera fuerit, hæc inveſtitura legitima fuerit, & in jure ſubſiſtat, nam conformis præſentationi non erat, quippe cûm præſentatus ad inveſtituram non fuerit. Cûm ergo Monasterium, uti hætenus probatum eſt, priûs fuerit in poſſeſſione ponendi ibi Sacerdotes vel Regulares, vel ſeculares ad nutum amovibiles, ne poſſeſſione hac ſua ſpoliaretur Monasterium, debuiffet priûs examinari cauſa, an Capellania iſta fuerit, & ſit revera ſecularis, vel Regularis. Unde ipſum Monasterium, ſi innotefcat ipſi authenticè de inveſtitura facta, meritò agere poteſt de ſpolio, antequam in cauſa principali reſpondeat. 4. Poſſeſſio regularitatis reſpectu Capellaniæ iſtius, ut num. 40. oſtenſum fuit, jam inchoata fuit ante Indultum, datum à Cardinali. Conſequenter, cûm jus iſtud præſentatur obtentum fuiſſe viâ præſcriptionis, non fuit opus, ut Monasterium ex-

R. P. Schmalzgrueber Conſilia.

hiberet inſtrumentum regularizationis Capellaniæ iſtius. Sufficeret etiam exhibitio ipſius Indulti prædicti, quippe per quod, ut ex deductis num. 33. & duobus ſeqq. inferitur, vel obtentum, vel confirmatum jus iſtud fuit. 5. Non obſt, quod Dominus Abbas C. Dominum S. præſentaverit cum precibus, ut Reverendiſſimus Ordinarius illum more antiquo, demalten Herkommen nach, ad curam animarum admitteret; licet enim primis à fundatione temporibus in hoc beneficio, quippe quod fundatum eſt pro Sacerdote ſeculari, inveſtiti ſint ſeculares, ſucceſſu tamen temporis, ut ex num. 2. patet, promiſcue illud collatum eſt tam ſecularibus, quam regularibus: qui mos cûm etiam ipſe antiquus fuerit, meritò ſecundùm hunc morem facta cenſetur præſentatio Domini S. præſertim cûm in hac præſentatione contra id, quod num. 27. ſupponit Reverendiſſimus Fiſcus, Reverendiſſimus Abbas C. expreſſe juxta num. 27. monuerit, hanc Capellaniam aliàs eſſe beneficium Regulari. 6. Denique æquè parùm obſt, quod tres Sacerdotes ſeculares in beneficio hoc inveſtiti fuerint; nam hoc, ut num. 41. & 42. dictum eſt, factum eſt ex ſpeciali cauſa ibi allegatâ, conſequenter poſſeſſio illorum non potuit interrompere præſcriptionem, à Monasterio pro ſe allegatam.

Ad num. 28. Trium illorum Regularium, qui beneficium iſtud poſſederunt ab anno 1719. uſque ad præſens tempus, poſſeſſio non quidem patrocinator Monasterio, ſi ſola ſpectatur; multum verò eidem prodeſt conſiderata cum antecedentibus, quippe cûm probetur continuata hucusque. Nec iſtam interruptit adjecta admiſſioni illorum clauſula, ſalvo tamen cujuſque jure; ſalvat enim alternative jus utriuſque partis, & non minùs jus Monasterii, quam Ordinarii, ſiquid alterutra pars ritè probaverit. Hinc non obſtat, quod promotioni R. P. Ernſti Ordinarius primitus contradixerit, & petierit, ut per inſtrumenta Monasterium Regularitatem probet; cûm enim probatio hæc pertineat ad petitorium, nunc verò agatur ſolummodo in poſſeſſorio, ubi non proprietas, ſed poſſeſſio probanda eſt, hanc autem Reverendiſſimus Dominus Abbas hodiernus jam anno 1718. cûm adhuc fuit ſimplex Conventualis, per duas ſcripturas ex ſerie Capellanorum, ad beneficium hoc promotorum, ritè in Conſilio Eccleſiaſtico oſtenderit, prædicta clauſula aliud operari non potuit, niſi reſervationem petitorii, ſalvo manente jure poſſeſſionis pro parte Monasterii; aliàs jus cujuſcunque contra tenorem iſtius clauſulæ ſalvum non maneret. Hinc admiſſio horum trium ultimarum Regularium non fuit gratuita, ſed innixa poſſeſſioni antiquæ Regulari.

(Oo002)

gula

46.

gularitatis, quā spoliari non potest, nisi ostenso non jure legitimo, prætensio à Monasterio. Unde, nisi Reverendissimus Fiscus legitime probet, eidem Monasterio jus possessorium Regularitatis, & amovibilitatis ad nutum respectu hujus Capellaniæ nunquam competiisse, nec hodie competere, actum aget, sed ipsum hoc Monasterium, salvā prædictā clausulā, ex deductis hætenus rationibus, exceptione possessionis se tueri, & mediā istā petere jure potest, ut Regulares, ab ipso amovibiliter præsentati, ad curam animarum, in D. exercendam, admittantur.

47.

Neque officit, quòd, dum P. E. ad Capellaniam hanc præsentatus fuit, his facta sit Monasterio à Reverendissimo Domino Vicario Generali, qui contendebat, illam esse beneficium sæculare & ipsum Monasterium pro manutenenda suā possessione ad Consilium Ecclesiasticum duas scripturas transmiserit, atque ita litem sit contestatum. Nam, licet per contestationem litis contra eum, cum quo contestata lis est, civiliter interrumpatur præscriptio, non tamen ista interruptitur absolute: sed conditionatè duntaxat, si scilicet possessor in lite succumbat, ut rectè monent

Molin. tract. 2. de just. D. 78. n. 14. Less. lib. 2. de just. c. 6. n. 49. Palao tract. 31. D. un. p. 22. §. 16. n. 4. Haunold. tom. 1. tract. 5. n. 340. Pirhing ad tit. de præscript. n. 134.

Hinc, si possessor postea absolvatur, præscriptio eodem modo censenda est perrexisse, ac si per litis contestationem nunquam fuisset interrupta: & ratio est, quia effectus interruptionis pendet à sententia judicis deinceps pronuntiandā, tanquam à conditione, & hoc ideo, ne cuivis facile liceat, litem etiam calumniandi animo movendo, præscriptionem interrompere. Quod ipsum observasse videtur Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis, dum præsentatum sibi memoratum P. E. tandem admisit ad Capellaniam, licet cum clausula, salvo cuiusque jure, quā ostendit, se rem hanc adhuc velle relinquere indecisam, & tam Monasterio possessionem, quam ordinario jus sæcularitatis, si quod alteri parti competat, salvum persistere. Proinde, ut in possessorio Reverendissimus Fiscus intentionem suam evincat, non supponere, sed probare debet, quòd Monasterium nullam hætenus habuerit, nec modò habeat possessionem Regularitatis, vel amovibilitatis in dicto beneficio. Cum verò contrarium hætenus ostensum sit, ruit intentio Fisci, quā contendit, exceptionem possessionis fuisse inanem, & nullam: propterea

48.

Ad num. 29. & duos sequentes primò liquere videtur, quòd præscriptio ponendi in hoc beneficio Regulares, vel sæculares,

ad nutum amovibiles, juxta hætenus deducta, fundetur in possessione legitima, jam ante Indultum Cardinalis inchoatā, nunquam interruptā, sed à tempore immemoriali (nam juxta dicta num. 2. initii illius non extat memoria) ad hoc usque tempus continuatā. Et hoc ipso 2. adest in hac præscriptione titulus præsumptus; nam in præscriptione longissimi temporis, & multò magis in centenaria, & immemoriali, ordinariè titulus non requiritur, sed sufficit bona fides, quā præscribens credit se titulum habere, cum fortè non habeat.

can. placuit 15. §. præscriptionum. caus. 16. q. 3. l. si ut 3. & l. omnes 4. C. de præscript. 30. vel. 40. ann.

quia antiquitas possessionis, & lapsus tot annorum ex dispositione juris habetur pro titulo, & ex tam longo tempore præsumitur iusta causa possidendi.

Covar. Reg. Possessor. p. 2. §. 5. concl. 2. Laym. lib. 3. tract. 1. c. 8. n. 12. Less. lib. 2. de just. c. 6. n. 23. Palao tract. 31. D. un. p. 22. §. 5. n. 4. & alii passim.

Denique 3. etiam non deficit ex parte Monasterii bona fides; nam jus præsentandi Clericos Regulares, vel sæculares ad nutum amovibiles Monasterium hætenus semper exercuit, fueruntque sic præsentati à Reverendissimo Officio usque ad ultima ista tempora sine contradictione semper admitti. Neque obest, quòd aliqui Sacerdotes sæculares fuerint etiam præsentati ad investituram; nam, ut num. 41. dictum est, id factum est ex speciali ratione, & sine animo renuntiandi juri Regularitatis, & amovibilitatis hætenus obtento, & exercito. Hinc, cum nunc controversia Monasterio à Reverendissimo Fisco Episcopali fiat circa hoc: jus, & bonam fidem in illius exercitio, probatio malæ fidei fieri deberet ab ipso Fisco; nam, quia bona fides consistit in ignorantia, quā quis putat rem esse suam, quæ revera est aliena, ignorantia autem per

l. verius 21. ff. de probat. & Reg. præsumitur 47. in 6.

præsumitur, ubi scientia non probatur; ordinariè bona fides probari à præscribente non debet, sed onus probandi malam fidem incumbit illi, qui hanc possessori opponit. Ratio est, quia possessor tam diu bonæ fidei præsumptione tueri se potest, quamdiu mala ab adversario non probatur. Idque verum est, etiamsi absque titulo possideat, nisi tamen contra jus commune possessionem alicujus rei acquisiverit, vel possessionis suæ nuper acquisitæ rationem nullam afferre possit, aut si, postquam denuntiatio ei facta est rem esse alterius, ipse veritatem neglexerit inquirere. Nullo autem modo à Reverendissimo Fisco Episcopali hætenus probata est mala fides Monasterii in hoc puncto; nam

Agu.

49. Argumenta, pro hac probandâ num. 30. allata, hucusque jam diruta sunt. Imò enim potest sæculare beneficium successu temporis per præscriptionem fieri Regulare, & vicissim. Consequenter non obest bonæ fidei, licet Capellania D. primitus fundata fuerit pro Sacerdote sæculari; quia successu temporis etiam ante Indultum Cardinalitium promiscuè collatum fuit tam Regularibus, quam sæcularibus. 2. Quòd verò Regulares, qui ante Indultum prædictum beneficium istud obtinuerunt, investiti in illo fuerint, & an omnes illi, non satis constat. Contrarium ergo potius præsumi debet ex principio communi; quòd Regulares absque dispensatione inferiora beneficia in titulum perpetuum obtinere nequeant, repugnante contra hoc obedientiæ voto, vi cuius à superiore suo Regulari ad Monasterium suum revocari ad nutum possunt. 3. Si Regularitas huius Capellaniæ, & facultas ponendi in ea pro libitu Regulares, vel sæculares ad nutum amovibiles obtenta non fuit antea per longum usum huius facultatis, juxta dictâ num. 33. saltem eam facultatem consecutum est Monasterium vi Indulti Cardinalitii: quod ex incorporatione illius ad Parochiam Z. ipsūque Monasterium per dictum num. 33. & duos sequentes bene concluditur. Quòd verò 4. continuationi istius juris non obest trium illorum sæcularium in hoc beneficio facta investitura, patet ex causa, ob quam facta est, quæ causa satis probata existit ex dictis num. 41. Neque dici potest 5. quòd Reverendissimi Abbates istos ad investituram præsentando renuntiare voluerint huic iuri; nam post hos tres sæculares iterum præsentati alii Regulares, iique admissi sunt ab Ordinario. 6. Dominus S. post istos præsentatus non fuit ad investituram, sed more hæcenus usitato, consequenter amovibiliter, ut patet ex dictis num. 44. atque adeò per huius possessionem, etiam per 54. annos continuatam, juxta dictâ num. 45. non potest dici status Regularis huius beneficii rediisse ad sæcularem. 7. Denique non obest lis, Monasterio sub obitum Domini S. intentâ, & clausula *salvo cuiusque jure* promotioni, & admissioni P. E. addita; nam clausula ista per dictâ num. 46. præservat jus possessori, lis verò etiam contestata præscriptionem non interrumpit absolute, sed conditionatè duntaxat, si scilicet Possessor in lite succumbat. Hinc, si iste postea absolvatur, præscriptio eodem modo censenda est perrexisse, ac si per litis contestationem interrupta nunquam fuisset.

50. Ad num. 31. jam dictum est num. 39. ad hoc, ut viâ præscriptionis inducatur mutatio beneficii in alium statum, non requiri, ut illud conferatur animo, & intentione eidem imprimendi alium statum,

Hinc non obest imò quòd Reverendissimus Ordinarius nusquam manifestaverit mentem hanc suam. Nec etiam 2. quòd primos Regulares, ad Capellaniam hanc præsentatos, investiverit; nam investitura hæc juxta dictâ num. 38. vel per errorem, vel dispensativè est facta. 3. Admissio Conventualium illorum, qui beneficium hoc ab anno 1640. usque ad annum 1664. obtinuerunt, sub qualitate amovibilitatis facta est à Reverendissimo Ordinario, cuius autoritas vitium intrusionis tollit, & legitimam possessionem efficit. 4. Tres ultimi Regulares, ad Capellaniam hanc præsentati, hoc ipso, quòd admissi sint cum clausula *salvo cuiusque jure*, quæ jus utriusque salvat, continuasse censentur possessionem, nisi per sententiam contrariam in petitorio lis decidatur pro Reverendissimo Filco. Unde, quamdiu non docebitur de non jure Monasterii, illud manebit in possessione regularitatis, & amovibilitatis circa hoc beneficium. In qualite 5. licet post ejus continuationem per integrum annum, & oblatas à Monasterio duas scripturas defensionales à Reverendissimo Consilio Ecclesiastico nullum emanarit Decretum, fuit tamen, dum jam in procinctu erat Monasterium, ut propter moram à gravamine hoc appellaret, per admissionem præsentationis expeditam, possessio ipso facto agnita, & impugnatio huius juris, à Monasterio præsentis, deserta.

Ad id, quòd dicto num. 31. à Reverendissimo Filco opponitur, scilicet expeditionem admissionis horum trium ultimum Regularium ad Capellaniam quæstionis non profuturam Monasterio, etiam si concederetur, quòd illos admittendo sub memorata clausula Consilium Ecclesiasticum possessionem Regularitatis, ex parte Monasterii stantem, agnoverit, cum causæ contentiosæ non in isto, sed in Reverendissimo Vicariatus, vel Officialatus officio terminari debeant; respondetur, in hoc Monasterium extra culpam esse, quòd non aliud forum pulsaverit; cum enim cuiuslibet iudicis sit cognoscere, an sua sit jurisdictio, & ipsum Consilium Ecclesiasticum scripturas, pro Monasterii defensione oblatas, receperit, super his consultaverit, consequenter se causæ huic ingesserit, Monasterium meritò præsumere poterat, quòd idem Consilium Ecclesiasticum habeat sufficientem auctoritatem pro faciendâ ejusdem causæ decisione; nec enim credi potest, quòd voluerit labores, & expensas causare Monasterio, si apud se nihil fructuosè, & cum effectu perfici posset, sed monuisset, ut aliud, idque competens forum pulsaret.

Accedit, quia utique RR. DD. Vicarius Generalis, Officialis, & alii Consilarii Ecclesiastici interfuerunt Consilio, quando dictæ scrip-

(Oooo3)

turæ

51.

turæ fuerunt in eo propositæ. Res igitur hæc fuit omnibus nota : consequenter debuissent sese opponere tum ratione fori, tum etiam ratione ipsius causæ. Dum ergo usque ad annum 1727. ubi novus constitutus Fiscalis est, nihil moverunt, admit-tendo hos tres Regulares ad Capellaniam, licet sub clausula, ipso facto possessionem, à Monasterio præsentam, & probatam ag-noverunt. Ex quo proinpatet decisio hujus primæ quæstionis.

52.
Decisio
quæstionis.

DICENDUM, quod Monasterium N. legitime hætenus possederit jus expo-nendi Sacerdotem Regularem, vel sæcu-larem ad nutum amovibilem, in pago D. Nam imò jam ante Indultum Cardinali-tium fuerunt ad hanc Capellaniam præsen-tati à Monasterio, & admissi à Reverendis-simo Ordinario sine ulla contradictione promiscuè tam sæculares, quàm Regulares, ut ostensum est num. 32. consequenter jam tum inchoata fuit possessio istius faculta-tis. 2. Hæc possessio dein An. 1592. fuit confirmata per Indultum Cardinalitium, utpote in quo per dicta num. 33. & duobus seqq. merito censi poterat fuisse inclusa eadem Capellania. 3. Hanc possessio-nem non interruperunt Clerici sæculares, etiam investiti in hoc beneficio; quia, ut dictum est num. 41. investitura hæc petita est à Reverendissimis Abbatibus ex certa, & necessaria causa. 4. Secuti istos dein sunt alii Regulares, qui, cum sine contra-dictione à Reverendissimo Ordinario ad-missionem acceperint, juxta num. 46. & seq. nequitiam haberi pro intrusis possunt. Adest ergo 5. possessio immemorialis istius juris, consequenter titulus præ-sumptus juxta num. 48. & bona fides: sic-que omnia inveniuntur requisita ad legiti-mam præscriptionem. Ex quo solvitur, quod

QUÆRITUR II.

An Reverendissimus Procurator Fisci contra Ven. Monasterium N. agere pos-sit ex l. si contendat 28. ff. de fidejuss.

53.
Rationes
dubitandi

PUtat Reverendissimus Fisci Procurator, sibi sine controversia competere reme-dium l. si contendat cit. idque per sequentes rationes.

Nam imò vi hujus remedii is, qui quacun-que ex causa ab alio litem sibi movendam timet, proprium suum judicem adire po-test, ut adversarius citetur, & ipso præ-sente declaretur, adversus eundem ex-ceptionem competere, ac propterea illi super eâ causâ perpetuum indicendum si-lentium, nisi jus suum probet: conse-quenter remedium hoc per modum defen-sionis proponitur, ibique, qui illo utitur,

magis rei, quàm actoris personam susti-net, ad modum remedii ex l. diffamari 5. C. de ingen. manumiss. ubi diffamans cogi potest, ut jactationis, seu diffamationis veritatem probet. Sicut ergo benefi-cium ex l. diffamari cit. non diffamanti, sed diffamato competit, ita ex l. si conten-dat allegatâ agere solum potest ille, cui jus suum, quod ipsi competit, in con-troversiam trahitur. Est autem in casu substrato Monasterium N. diffamans, Reve-rendissimus Ordinarius autem diffamatus, quippe cum illud contra hunc Capellaniam D. dicat esse beneficium Regulare, quod tamen ex juris assistentia præsumitur esse sæ-culare. Proinde

2. Cum controversia de hoc nec extra, nec intra judicium hætenus discussa, ho-die verò reassumpta sit, & in judicium deducta, ut mediâ sententiâ terminetur Fiscus Episcopalis in judicio diffamatorio implorator duntaxat, in causa principali verò reus existit, atque adeò juxta Came-ram Imperialem, quam sequitur Camera Episcopalis per tradita

Gaill. lib. 1. observat. 11. n. 2. ex l. si contendat. merito petit, ut Monaste-rio diffamanti, tanquam actori, præfiga-tur terminus, intra quem de præ-tensa regularizatione hujus beneficii doceat, & siquidem in probatione defecerit, ei-dem perpetuum indicatur silentium. Non apparet autem

3. Quomodo regularizationem hanc à se assertam hætenus probaverit, vel probare possit: non per instrumentum, quippe quod, ut super prætensa regularizatione hujus beneficii ederetur, jam anno 1728. petitem quidem fuit, obtineri tamen non potuit: non etiam per præscriptionem; quia huic deest legitima possessio, quippe quam Monasterium non habet, nec ha-buit, aut certe perdidit. Proinde Fiscus Episcopalis, cum assistentiam non tantum juris, juxta quod omnia beneficia in du-bio præsumuntur sæcularia esse, sed ipse etiam Foundationis, ex vi cujus in hoc beneficio ponendi sunt sæculares Capella-ni, auctoritatem habeat, necessitatus fuit ad Reverendissimi Vicariatûs Officium ex l. si contendat. implorandum, ne Reveren-dissimus Ordinarius, qui verè, & noto-riè possedit, & hodieum possidet sæ-cularitatem ejusdem beneficii, in hac sua antiquissima possessione turbetur, sed contra Monasterium Capellania hæc sæcu-lare beneficium esse definitivè pronuntietur. Sed his non obstantibus

DICENDUM, Procuratorem Fisci contra Monasterium non posse agere ex dicta l. si contendat; nam remedium hujus legis non competit actori, sed reo exceptio-nem habenti: & hinc per

Lauterbach Colleg. Theor. Præf. ad tit. ff. de fidejussor. §. 49.

ad:

adstipulantibus cæteris JCtis definitur, quod sit jus reo competens, exceptionem, quam habet, Actore agere cessante, coram iudice proponendi, & petendi, ut ille suâ sententiâ decidat, exceptionem sibi competere, seque contra adversarii sui actionem tutum esse declaret. Atqui in casu præsentis Monasterium contra petitionem Reverendissimi Ordinariatus, fundantis se in generali præsumptione, quod beneficia in dubio haberi debeant pro sæcularibus, tueretur se exceptione immemorialis possessionis, vel quasi, & consequenter præscriptionis præsentandi ad Capellaniam D. Clericum Regularem, vel sæcularem ad nutum amovibilem, sicut in ipsa Parochia Z. ad quam filialis est Ecclesia D. & hæc possessio, ut ex dictis ad quæstionem præcedentem patet, à Monasterio sufficienter probata, ab ipso Reverendissimo Ordinariatu factò ipso expediendo admissionem præsentati agnita, & hucusque continuata fuit. Igitur non Fiscus, sed Monasterium Privilegio hujus legis gaudet; nam, ut notat

Gloss. inc. forus. 10. V. reus de V. S.

Reus est, qui ab Actore in jus vocatus, ejus actionem propulsando se defendit; Actor verò, qui actionem proponit, & prior ad iudicium provocat.

l. in tribus 13. & l. qui appellat. 29. ff. de judic.

Hoc posterius fecit Fiscus; nam Monasterium non fecit ullam instantiam iudicalem, sed vacante Capellaniâ D. præsentavit ad illam Regularem Conventualem suam, petiitque illum more hætenus observato ad ejus administrationem admitti, cui petitioni obstitit Fiscus, & actionem Monasterio intendit.

57. Merito igitur Monasterium, utpote reus, habens exceptionem, ex remedio dictæ *l. si contendat* petere potest, ut Reverendissimus Fiscus causam, vel causas adducat, easque plenè prober, quare Monasterium exceptione possessionis, vel quasi præsentandi ad Capellaniam D. Capellanum Regularem, ad nutum amovibilem se tueri non possit; deficiente verò hac probatione, prout ex dictis ad quæst. præced. defacto deficit, ut Domino Procuratori Fisci perpetuum indicatur silentium, ne Monasterium in possessione ulterius molestari possit, sed, omisâ clausulâ, salvo cuiusque jure, ultimis admissionibus additâ, præsentati ad Capellaniam hanc administrandam absolutè admittantur, donec in petitorio, ad quod clausula ista, ut dictum est, pertinet, tota controversia definitivâ terminetur sententiâ: in quo tamen Monasterium, cum in dicta quæst. 1ma non tantum possessionem suam, sed ipsum jus suum, viâ præscriptionis obtentum, ritè probaverit, difficulter succumbet.

58. Ad argumenta opposita facile responde-

tur. Ad 1mum remedium *l. si contendat* Solvuntur non debet confundi cum remedio *l. diffamari*; nam prius à posteriore differt, quod istud præviâ diffamationem, illud solum molestiæ, & vexationis metum, aut periculum præsupponat. In præsentis casu non tantum timor molestiæ futuræ est, sed jam actu Monasterium circa liberam facultatem præsentandi Clericos Regulares, vel sæculares ad nutum amovibiles, ac possessionem istius facultatis per contradictionem factam à Reverendissimo Fisco Episcopali molestatum est. Unde melius etiam Monasterium ageret beneficio *l. diffamari*, quam *l. si contendat*. Et quidem merito; nam cum lis illi fiat circa possessionem hujus facultatis, & ipsum arguatur, tanquam si facultatem istam illegitimè, non bona fide, & sine titulo possideat, Monasterium pro diffamato, & Fiscus pro diffamante habendus est.

Ad 2. Non obest, quod Reverendissimus Ordinarius habeat pro se assistentiam juris, juxta quod omnia beneficia in dubio præsumuntur esse sæcularia, & simuletiâ foundationis, ex qua patet, Capellaniam quæstionis fundatam esse pro Clerico sæculari; utrumque enim conceditur à Monasterio: sed illud contendit, quod facultatem prædictam obtinuerit viâ præscriptionis, in quo casu procedit communis doctrina, juxta quam ille, qui rem, aut aliquod jus mediante præscriptione acquisivit, si timeat, ne circa illud à veteri domino actio moveatur, non expectato, ut conveniatur, remedio *l. si contendat* uti potest, & in iudicio proponere exceptionem præscriptionis. Gaillius *l. cit.* non de remedio ex *l. si contendat*, sed de beneficio *l. diffamari* loquitur, & ibi non est contra, sed pro Monasterio, quippe quod possessionem facultatis præsentandi Capellanum Regularem, vel sæcularem ad nutum amovibilem acquisivit viâ præscriptionis, in qua quia ipsum à Fisco Episcopali turbatur, iste pro diffamatore, illud pro diffamato haberi debet.

Ad 3. Licet Monasterium non possit producere instrumentum, per quod directè, & principaliter ipsi concessa sit hæc facultas, tamen pro se affert Indultum Cardinalis, per quod directè hæc facultas concessa ipsi est pro Parochia Z. consecutivè verò Ecclesiæ Filiali in D. utpote quam in priori inclusam esse argumenta num. 31. & duobus seqq. allata probant. Igitur per hoc Indultum vel data Monasterio eadem facultas est etiam pro dicta Ecclesiâ Filiali, vel potius Monasterium, cum jam ante hoc Indultum exercuerit hanc potestatem, in hujus usu confirmatum. Porro, quod possessionem hujus potestatis illud nec per investituram intervenientium Sacerdotum sæcularium amiserit, patet ex dictis ad quæst. 1mam; nam ut num. 39. dictum est, DD.

Jaco.

59.

60.

Jacobus V. Sebastianus M. & Nicolaus V. investiti in Capellania hac sunt ex speciali causa, & sine animo renuntiandi potestati prædictæ; Dominus S. autem illam obtinuit ex præsentatione cum expressa mentione, quod ipsa aliàs sit beneficium Regulare, de cujus ratione cum sit, ut sit manuale, Reverendissimi Patroni intentio fuit, ut esset ad nutum à beneficio amovibilis. Dum ergo in eo est investitus, id factum est contra tenorem præsentationis. Dum ergo Monasterium exceptione possessionis, & præscriptionis ex ista consecutæ sese defendit, partes diffantati, atque adeò rei agit, & meritò petit, ut Judex Fiscum, tanquam actorem, cogat, ut causam, vel causas adducat, & concludenter probet, dictam exceptionem Monasterio non competere, & regularitatem præsentam jure possessionis, consequenter præscriptionis evinci non posse; sin minus ab ulteriori molestatione per impositionem perpetui silentii Monasterium liberet. Cum verò ex parte Monasterium se etiam fundet in Indulto Cardinalis, Fiscus autem Episcopalis videatur illius valorem in dubium velle trahere, hinc

QUÆRITUR III.

An Indultum, à Cardinali concessum, de vitio ob- vel subreptionis possit coargui?

16. **R**atio dubitandi est, quia vitium obreptionis contingit per narrationem, vel expressionem falsi; subreptionis autem per reticentiam, sive suppressionem veri necessariò exprimendi. Utroque hoc vitio laborabat memoratum Indultum. Nam imò Reverendissimus Abbas, qui Indultum hoc impetravit, in petitione sua non expressit statum sæcularem primævum Parochiæ Z. qui status debet necessariò exprimi, si Regularis supplicet pro beneficio sæculari, quippe cum regulariter beneficia sæcularia sæcularibus, & Regularibus regularia conferri debeant juxta

c. cum de beneficio §. de prob. in 6.

adeoque videtur Indultum hoc laborare vitio subreptionis.

62. 2. Videtur idem Indultum etiam infici vitio obreptionis; nam ejusdem Abbatis petitio continebat, quod *jus Patronatus Ecclesiarum Parochialium, D. & Z. ad se, suumque Monasterium antiquitus, & adhuc hodierno die spectaverit, & spectet, ita, ut sine contradictione possit NB. Religiosos sui Ordinis, & Monasterii, vel sæculares Presbyteros ad easdem assumere, & eosdem ad investiendum præsentare*: quod falsum esse constat ex instrumento incorporationis, seu reversali Parochiæ Z. de anno 1294. ubi expressè cavetur, ut Abbas pro tempore existens præsentet ido-

neum Sacerdotem Clericum sæcularem pro Vicario perpetuo, de cura animarum ejusdem Ecclesiæ investiendum. Sed istis non obstantibus,

DICENDUM, Indultum Cardinalitium, quo Parochia Z. facta est beneficium Regulare, cum facultate libera Abbatibus, pro tempore existentis, præsentandi ad illud Clericum Regularem, vel sæcularem ad nutum amovibilem, nullo vel ob- vel subreptionis vitio laborare. Nam imò ab anno 1294. quo Parochia hæc fuit unita Monasterio cum onere ponendi ibi Clericum sæcularem pro Vicario perpetuo, de cura animarum ejusdem Ecclesiæ investiendum, usque ad annum 1592. quo emanavit Indultum Cardinalitium prædictum, effluxerunt anni ferè 300. Potuit ergo intra tot annos status Parochiæ istius omnino mutari, & ex sæculari beneficio effici Regulare, cum facultate ponendi ibidem Vicarios sæculares, vel Regulares pro arbitrio Reverendissimi Abbatis. Quod verò revera tempore concessi Indulti Cardinalitii status dictæ Parochiæ mutatus, vel habitus pro mutato jam antea fuerit,

2. Colligi videtur satis ex eo, quia instrumentum incorporationis, & unionis prædictæ tempore Indulti Cardinalitii, per quod concessa est facultas præsentandi Clericum Regularem, vel sæcularem ad nutum amovibilem ad dictam Parochiam Z. erat adhuc, & hodiè est in manibus Episcopi, & Capituli Cathedralis: consequenter Eminentissimus Cardinalis, qui Indultum istud concessit, cum in ejusdem Indulti instrumento dicat, se Indultum hoc, præhabita maturâ deliberatione cum Præposito, Decano, & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, eorumque accedente consensu, facultatem hanc concessisse, haud dubiè inquisiverit de veritate precum Abbatis, qui pro facultate hac supplicavit, ideoque notus fuerit eidem status memoratæ Parochiæ, quæ notitia necessariò tollit ob- vel subreptionis vitium. Confirmatur ulterius

3. Quia ab editione dicti Indulti fluxerunt hucusque jam ferè 140. anni, quo tempore ad Parochiam istam præsentati sine omni contradictione sunt Sacerdotes Regulares ad nutum amovibiles. Temerarium autem foret dicere, omnes hos Regulares fuisse hætenus nulliter institutos, quod necessariò sequeretur, si Indultum hoc laboraret vitio Ob- vel subreptionis; sed potius dicendum, quod ob diuturnitatem temporis, & usum hujus facultatis, per tot annos, sine contradictione continuatum, præsumantur intervenisse omnia solennia substantialia ad normam alienationis bonorum Ecclesiasticorum, in quâ, si à die alienationis eorum tempus longum, aut longissimum intercesserit, & intra hoc tempus alienatio nunquam fuit im-

impugnata, omnia cum requisitis solennitatibus legitime acta præsumuntur, ex generali regulâ, quod solennitates intrinsecæ, quæ ad contractum sunt necessariæ; ex temporis diuturnitate præsumantur, si ex parte ejus, cui præsumptio favet, possessio, sciente, & patiente parte adversâ, detur.

Laym. lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 4. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 72. Palao tract. 12. D. un. p. 15. §. 2. n. 13.

66.

Solvuntur rationes dubitandi.

Responsio ad rationes dubitandi allatas sequitur ex dictis. Ad 1. *nam non potest de vitio subreptionis coargui Indultum hoc ex eo, quod Abbas in supplicatione sua non expresse sit statum primævum, scilicet qualitatem beneficii sæcularis, quem habebat Parochia Z. cum enim à tempore, cujus initium non extat memoria, ad hanc administrandam præsentari, & ab Ordinario sine contradictione admissi promiscuè sint Sacerdotes Regulares, vel sæculares, hoc ipso mutasse illa statum suum primævum probatur. Unde iste impertinenter, utpote extinctus, se habere censetur, & sufficit, quod expressus in libello supplicis fuerit status præsens, quem tempore supplicationis illa habuit. Hoc autem fecit Abbas, dum retulit, quod *ius præsentandi Ecclesiarum Parochialium D. & Z. ad se suumque Monasterium antiquitus, & adhuc hodierno die spectaverit, & spectet, ita, ut sine cujusque contradictione possit Religiosos sui Ordinis, & Monasterii, vel sæculares Presbyteros ad easdem assumere, & - præsentare.* Hinc etiam*

67.

Ad 2. Idem indultum liberum est à vitio obreptionis; nam hoc ipso, quod successu temporis recessum fuerit ab obligatione præsentandi ad illam Vicarium perpetuum

sæcularem, per incorporationem, anno 1294. Monasterio factam imposita, & sic mutatus sit status hujus Parochiæ, nulla in supplicatione Abbatis deprehenditur falsitas. Et hoc commune est omnibus rescriptis, quibus impetratur beneficium Ecclesiasticum; in his enim impetrandis non attenditur status beneficii, quem olim habuit, sed quem successu temporis illud obtinuit, & adhuc eo tempore, quo impetratur rescriptum, legitime possidet: & sic intelligendus est textus

c. cum de beneficio §. de præb. in 6

Conclusio totius Controversiæ.

DICENDUM ergo, quod Ven. Monasterium N. jure merito prætere posse facultatem liberam præsentandi ad Capellaniam D. Presbyterum Regularem, vel sæcularem, ad nutum amovibilem. Nam imò in hac jam à tempore immemoriali positi fuerunt promiscuè Capellani Regulares, & sæculares ante Indultum Cardinalitum. Quod proinde 2. cum sub se comprehendat etiam dictam Capellaniam, juxta dicta in *quæst. 1.* & juxta deducta ad *quæst. 3.* nullo labore vitio obvel subreptionis, legitime vel contulit, vel confirmavit qualitatem amovibilitatis ad nutum. Et quia 3. adsunt omnia ad præscriptionem complendam requisita, & post istud Indultum bona fide in ea positi, & sine contradictione admissi sunt Regulares ad nutum amovibiles, jure censetur Monasterium qualitatem hanc amovibilitatis præscripsisse. Ex quo 4. sequitur, ex *l. si contendat*, vel potius ex *l. diffamari* non Procuratorem Fisci, sed Monasterium juxta deducta ad *quæst. 2.* agere posse.

68.

CONSILIUM LXXII.

In causa constituendi Vicarii in Ecclesia Parochiali T.

SUMMARIVM.

1. *seq. Facti species.*
3. Beneficia pleno jure Monasteriis incorporata, sunt regularia.
4. Ad ea possunt nominari Regulares.
5. Beneficia Regularia dici possunt perpetua.
6. Hac perpetuitas conservatur in Rectore principali.
7. Ecclesia incorporata cum omnibus juribus, censetur incorporata quoad temporalia & spiritualia.
8. Si à Monasterio præsentantur Clerici sæculares, per hoc non immutatur status beneficii.
9. Per actus mera facultatis non præscribitur, nisi accedat prohibitio unius, & acquiescentia alterius.
10. Beneficium unitum Monasterio ad mensam, non amittit hanc unionem, etiam si per accidens in eo deputetur Vicarius perpetuus.
11. Talis enim transmutatio esset species alienationis, adeoque irrita.

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

(PPPP)

12. Pra-